...nothi ad Actionem per Journ...

Schwestern, wodurch wir jetzo in aller Leute Mäuler kamen.

Der Bürgermeister. Woher wollt ihr beweisen, daß diese Comödie auf euch verfertiget worden sey?

Beyde Mägdchen. Wir können aus allen Umständen gewiß schliessen, daß die Comödie über uns gemacht worden. Wir wollen deßwegen auch gerne einen Eyd ablegen. Es sind viele gute

TZER

Magistratus.

…ad Actionem per Joanne…

Obstantibusque prae[illegible]
sibi non nisi medieta[illegible]
[illegible] medietate L[illegible]

SCINTILLÆ
Asceticæ,
Ad
Excitandum Spiritûs
incendium.
In
Singulos anni dies
Accommodatæ
Ab uno
SOCIETATIS JESU
Sacerdote
1mo sub prælo excusæ
MONACHII,

---

nunc demum cum Facultate
Superiorum excitatæ.

Cracoviæ Typis Ignatii Grebe
S. R. M. Typogr: A. D. 1788.

PRÆFATIO.

Scintilla unica in materiam, concipiendo igni idoneam, delapſa magnum excitare incendium poteſt. Hujusmodi ſcintillæ sunt omnes Veritates, quarum recordatio animis in hominum, perfectionis ſtudiosorum, ingentia deſideria accendit, & corda ſurſum, ad suam Sphæram ſcilicet, quaſi connaturaliter rapit. Quapropter opuſculum hoc ignitabulo

non eſt abſimile, quod ob molis exilitatem nullo non tempore eſſe ad manum poteſt. Serviet nimirum ad proliciendas, in pectore delitescentes, flammulas, quibus anima ad cælum, divini ignis patriam aſcendat, cum illo ſe conjunctura de quo Moyſes in Deuteronomio: *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt*, Tuum erit, Lector benevole, manum admovere, & chalybe ſilicem irritare.

JA-

JANUARIUS.

1.

Nomen quod eſt ſuper omne nomen Sanguine partum eſt. Faciamus & ipſi nobis nomen; ſed nonniſi magna faciendo & fortiter patiendo.

Ipſa Innocentia Peccatoris nomen ferre ſuſtinuit, nos Peccatores in omnibus videri innocentes volumus

DEUS ſe ſubjicit legi, homo ſe ſubtrahit.

2. Ut tibi servirem creasti me, Deus meus. Tibi ergo soli serviam Creatura tua, Quæ in hominum commodum faciam, ita faciam, ut per ea tibi placeam.

Uni tibi servire nisi studuero, frustra me in mundo esse reputabo.

3. Ut laudarem te, creästi me Deus meus. O utinam igitur omnis respiratio, arteriarum pulsus, cogitatio mea in laudem tuam facundissimæ linguæ sint. Sed his quoties non laudo

te, omni laude digniſſime Deus meus!

4. Ut amarem te, ex nihilo meo produxiſti me Ne igitur fruſtra creaveris me, amabo te, Deus meus, & amabo ſuper omnia, & nihil amabo præter Te, quod non amem propter Te.

5. Ut Te æternum poſſiderem eſſe & vivere voluiſti me, Deus meus! Nihil igitur quod Deus meus non eſt, delectet me. In te uno & ſolo requiem invenit anima mea, quam eripere niſi

volenti, nemo poteſt.

6. Parum hodie offers Chriſto, ſi te non offers; non tua vult ſed te. Cor tuum ſit Thus ſine evagationibus, ſit aurum ſine fæcibus, ſit myrrha ſine inordinatis affectibus: erit, ſi eadem, qua Magi fide, ad Chriſtum acceſſeris.

7. In te habeo omnia, Deus meus! quid ergo quæram extra te? Tu ſpecioſus es præ filijs hominum Tu fons divitiarum; Tu unus & ſolus Omnipotens. Te quæ-

quæram, & cum invenero te, habebo ſatis in te.

8. Væ animæ audaci quæ credidit, ſi a te receſſiſſet, ſe melius aliquid inventuram. Cui tu, ô bonum infinitum non ſufficis, quid ei ſufficiet? Te mihi da, cætera deſint omnia.

9. Qui brachio mobili inædificat cadet cum mobili. Tu Deus meus immobilis es, qui tibi inædificat Sortem ſuam, non commovebitur in æternum, quidquid contrá moliantur om-

nes homines & diaboli.

10. O pulchritudo omnium pulchritudinum, Deus meus! quàm ſeró te amavi! O bonum omnium bonorum optimum, quam ſerò te cognovi! quis mihi det, ut præteriti temporis defectum ſuppleam!

11. Tibi ſoli cor meum in habitationem cedat Deus meus! quidquid in eo tibi diſplicet ejiciatur foras. Ite vana deſideria, procul ite cogitationes profanæ. Quid quid Deus meus

non

non eſt, impedimento & tædio mihi eſt.

12. Voluntas tua, ô Deus ſancta & juſta & ſapiens eſt. Igitur quod tu vis Volo & ego. Vis, ut ſanus ſim? volo & ego. Vis ut æger ſim: volo & ego. Vis, ut moriar ecce me! paratum cor meum Deus ad omnes voluntates tuas.

13. Quotidie, vis, ut Crucem in humeros meos ſuſtollam, & ſequar te: & quid aliud faciam, cùm Te præeuntem video? nullus

mihi dies elabetur, quin aliquid patiar amore tui, imitans te.

14. Amò te, ô Deus meus, & pro mercede hujus amoris mei peto incrementum amoris: quid enim petam. Te dignius, mihi utilius, quam ſemper magis amare Te ? Ipſe Deus es cognoſcendo & amando Te.

13. Ubi Paulus ſe totum Deo commiſit, Deus Pauli curam ſuſcepit verè pius verè miſericors, vel Corvo uſus œconomo.

Pau-

Paulum hunc vidit Antonius & exclamavit: Væ mihi peccatori, qui falſum Monachi nomen fero. Pauli tunicam cum meritis ſuis maluiſſet S. Hieronymus quàm regum purpuram cum regnis ſuis.

26, In pertractandis negotijs Angeli ſimus. Omnem in ijs diligentiam præſtemus; eventus autem, quicunque ſit, nihil de tranquillitate, noſtra, decerpat, ſatis id erit quod noſtrarum partium erat, feciſſe.

17. Ubi eras, bone Jeſu, ſuſpirabat S. Antoniꝰ poſt horrificam cum dæmonibꝰ pugnam. Pugnæ ſpectator adfui, repoſuit Chriſtus. Tam prope abſumꝰ à Deo etiam cùm longe abeſſe nos putamus.

Videns mundum laqueis involutum exclamavit quis evadet ? Inaudijt: humilis.

Suis dixit moriturus Vivite quotidie morituri! quotidie melioris animi propoſita renovate! Jeſum

assiduè suspirate.

18. Vis, ô Deus, ut coram mundo derelictus & contemptus jaceam! Amabo te & laudabo te & non derelinquam te etiam in contemptu & derelictione mea. Vis, ut honoratuꝰ sim? Amobo te, laudabo te, & non derelinquam te in honore meo: quia amo te propter Te; quomodocunque agatur de me, dignus es, ut amem te.

19. Estne possibile, ut ad dictum aculeatum, aut ad ocu-

oculum malignantem conturber, si te, O Redemptor, aut à Judæis agitatum, aut in probrosissimo Crucis patibulo suffixum aspicio? probra tua & vulnera tua sunt invitamenta mea aut confusio mea.

20 Allapsa è cœlo vox est S. Sebestian: Nunquam non mecum eris. tunc scilicet, quando Marcum & Marcellianum in fide titubantes confirmavit. O labor felix pro anima!

Quis sensus fuerit Sebastiano

ſtiano in medio ſagittarum? qualis tuus medio perſecutionum ſi cor tuum vera fuerit confixum charitate.

21. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Ipſi ſoli ſervo fidem, ipſi me tota devotione, committo.

Amo Chriſtum quem cum amavero, caſta ſum; cùm tetigero, munda ſum; cûm accepero virgo ſum.

Diſcede à me pabulum mortis, quia jam ab alio

ama-

amatore præventa sum. S. Agnes.

22. Investigabo, an in me cor reperiam, Ubi amor meus est, ibi cor meum est. Terram amo? in terra cor meum est. Hominem amo? homini cor meum tradidi. Deum amo? Deo cor meum consecravi, Ibi cor, ibi amor sit, ubi æternum esse volo.

23. Dies baptismi tui, dies desponsationis tuæ est. An fidem Christo Sponso tuo servâsti integram? O-

quoties

quoties non amâſti ! ô quoties offendiſti? & illum quidem qui charitate perpetua dilexit te!

24. Omnes Craturæ me confundunt dum omnes ad finem, ad quem conditæ ſunt convenienter operantur, Ego autem libertate mea, intellectu meo, mea memoria contra Deum abutor, qui unicus eſt finis meus.

25. Dies iſte, dies converſionis tuæ ſit vel à malo ad bonum, vel à bono

ad

ad melius. Dic cum Paulo: Domine quid me vis facere? Et cùm ad Ananiam missus fueris, illum pro Deo audi. Contra stimulum ne calcitres, ne alius accipiat coronam tuam.

26. Ego quidem unicè desidero, ut nemo quisquam erratorum meorum mentionem ingerat, omnes omnia bene interpretentur, nullus mihi obsequium neget. Ego autem quem non corrigo? quid non suspicor? cui ex animo gratificor?

27. De S. Chrysostomo dicebant aulici ad Imperatricem: Nihil, præter peccatum, timet. Quid de te dicerent? an non hominum gratiâ aut timore Deum offendis?

Tanto Spiritu loquebatur, ut *Os DEI* appellaretur. Os tuum cujus est?

Bis innocens in exilium ijt, stetit tamen pro veritate. Quo tu animo inter calumnias?

28. Malè superiorum Bonitas ex eventu desumitur?

tur; cûm eorum aut felix, aut infelix regimen plurimûm à Charitate & obedientia, aut malitià ac pervicacia dependeat subditorum.

29. Idcirco majus bonum præ minore eligendum est, quia Deo magis gratum est, non quia majoris præmij est S. Franc. Sales.

Non satisfacimus efficacius pro peccatis quàm dum facimus, quod placet Deo: Comedendo & bibendo magis Deo placem9, quando

do Deus ita vult, quam alio quolibet opere, alia de causa suscepto. Idem.

30. Nihil me separabit à charitate tua Deus meus! forsan autem non fiam salvus; Domine, tibi servire, Te amare volo, dum possum, dignus es enim; cætera tibi planè relinquo.

31. Exultabo in DEO meo, & gaudium meum nemo tollet â me, quia nemo mihi eripiet Deum meum. Te ô Deus cogitare, de Te loquentes audire propter

pter te àgere & pati deliciæ meæ ſunt & inauferabile cordis gaudium,

FEBRUARIUS.

1.

MAgna cum reverentia verſandum eſt in oculis Dei, eſt enim magnus Dominus & terribilis nimis, ſanctus & juſtus.

2. Sordidè enucleamus, quid obligati aut non obligati Deo debemus. Maria hodie ad templum purificanda aſcendit juxta legem, quâ non tenebatur.

Hac

Hac ſua demiſſione exaltationem, liberalitate gratiæ abundantiam promerita eſt. Quales erga Deum ſumus, talem erga nos experimur.

3. Juſtiſſime Deus meus aut in hac aut in altera vita peccatum punis. Hic hic ſeca. hic ure, hic lania, modō in æternum parcas. Vita præſens, tempus eſt miſericordiæ, futura Juſtitiæ. Patri pœnas dem. non Judici

4. Superior, qui omnia diſſimulat, aut non ſatis

animi habet, aut virtutis. Si illud? non utitur sua potestate: Si hoc? potestate sua non est dignus. Nec omnia dissimulare debet, nec nihil: aut enim ille officio, aut illi prudentia deerit.

5. Nunquam lætiores fuerunt SS Martyres, quam cum se pro Christo vinctos viderunt. Præclarè S. Chrysostomus: Vinctum esse propter Christum præclariùs est quam esse Apostolum quàm esse doctorem, quàm

esse Evangelistam.

6. Quid, ajebat S. Dorothea ad Tyrannum, tormentorum tuorum proponis formidinem? fac, quod facturus es quo citius mihi desideratissimo Christi conspectu frui liceat, cujꝰ amore nec te, nec tormenta tua timeo.

Sorobrius. ad defectionem sollicitantibns dixit: Deus natura bonus est, & copiosus in misericordia. his, qui toto corde suo convertuntur ad eum: & re-

ditum persuasit.

7. O Romualde! si gratiam Dei in te non impedires, quid non operaretur? S. Romualdus ad se ipsum.

Vita Sanctorum affligit animum meum, cùm video, quanta ipsi fecerint.

Discipuli mei persecuti sunt me valde. Sed quid dicam? Christum sui vendiderunt, & negaverunt: Idem. Centum annos in Dei servitio, viginti in servitio mundi exegi. Quàm breves illi, quàm graves isti?

isti ? Idem.

8. Res tam magna est Cœlum, & res tam parva est Passio nostra, dies nostri tam breves, ut præ erubescentia mori nos oporteret, si in ulla re quæri nos contingeret. S. Romuald.

9. O quàm vilescunt mihi omnia in terris, cum cœlum aspicio! Vana sunt omnia, vana sunt somnia, Tu ô Deus meus semper idem ipse es, semper idem ipse mihi es, si semper idem ipse tibi sum.

10. Neque in locum, neque in tempus, neque in illos, quibuscum habitas potes culpam conijcere, quôd in virtutum studio progressus majores non facias. Omnia, si tu te ipse non ipmedires, tibi adjumento ad perfectionem essent

11. Nunquam aggrediatur Superior, quod non prævidet, se posse perficere, aut enim impotentiam suam prodet, aut imprudentiam, & cùm plùs urserit, pertinaciam.

12.

12. Tecum esse. ô bone JESU, Paradisus mihi est in ipso etiam si inferno sim. Esse sine Te infernus mihi est, in ipso etiam si cælo sim. Inquietum est cor meum, ubicunque sit, donec requiescat in Te. Ubi tu, ibi cœlum meum.

13. Dum flecto ad orationem genua mea, quanta facio proposita? cùm ad te venitur, quanta est mea desidia? Aliam difficultas faciem habet, cum ante oculos est, aliam, cùm procul.

14. Quàm longanimis es, O Deus meus, in exſpectando me! quando tandem toto corde me convertam ad Te? Ergoné creatura aliqua retardare me poſſit, quin ocyus totus pertingam ad te?

15. Si ſcirent homines, quàm ſit res plena ſolatij, Te ſolo contentum vivere! quàm nulli vaniſſimas ſectarentur vanitátes! quam nulli amores ſuos leviſſimis mundi crepundijs implicarent!

16.

16. Homo, qui Deum sibi inimicum habet, ridere possit? dormire possit? millies certè optabilius est, totum mundum adversantem habere. In peccato es? Deum inimicum habes, & dormis? & rides?

17. Quæram quem diligit anima mea. At, cur extra te quæris, qui intra Te est? O quam ego Te nesciebam Deus meus intra me! O quàm vagabar extra me & Te, quœrendo me, obliviscendo te!

18. Qui extra Deum nihil ſperat, nihil timet nunquam triſtis erit. Qui nihil ſperat nihil amittit. Qui nihil timet, ſine cura eſt. Qui nihil amittit nihil curat, nunquam triſtis erit.

19. Non faciam, ut animi mei quies in alterius cujusvis poteſtate ſit. Dicant ergo, faciantque homines. quod volent, nihil ego ex dictis, factisve ad cor intromittam, quod turbas ciere poſſit.

20. Qui tuam Domine dul-

dulcedinem ſemel guſtavit, omnia ei tædio plena & amara videantur, neceſſe eſt. Stulti Te & tua fugiunt, quià te & tua non guſtaverunt. Bene David: Guſtate & videte quam ſvavis ſit Dominus.

21. Superior etiam hoc in Deum referat, quód nemini ultra meritum faveat, ultra demeritum infeſtus ſit. Illud invidiam, hoc deſperationem concitat. Omnibus Deus ſit.

22. Ita vivam, Domine,

ac ſi præter Te & me nemo in mundo foret. Satis eſt Domine, ſi Te omnia arbitrante bonum operor. Ah! ſatis eſt. ſi in conſpectu tuo pecco. Tu mihi omnium loco ſpectatorum es.

23. Sine Te nihil omnino poſſum, & hoc mihi gaudij cauſam ſuppeditat: ſcio enim hoc ſciendo, quód omnia à Te habeam. Sed & Tu ſcies, tibi incumbere, quòd, ſi quid á me boni habere velis, mihi debeas auxiliari.

24.

24. Suffectus est Judæ Mathias, gratiam Dei non utentis utens. Sic cum omni bono quod DEUS offert, damnari potes, si non cooperaris. Non locus. non institutum securitatem prestat perire volenti.

25. Et quomodo ego tibi possum resistere, magne Déus? cùm sciam, me tibi màgis subjectum, quam mihi subjectus sit vermiculus. quem ego, quandocunque volo, possum pede conterere.

26. Nullus dies abit, quo tua non accipiam beneficia. Sed & nullus abit quo te non offendam. O indigna retributio! Quotidie amas me, & quotidie res leviuſcula retinet me ab amando Te.

27. Anima mea identidem fugit à Te, cúm tamen omnia habeat in Te. Quo ibo, ubi mihi melius ſit, quàm apud Te? Accipe, igitur me, & capillis capitis mei trahe me ad Te.

28. Tu tu mi JESU amaſti

ſti me plusquàm ego Te, quia vitam tuam poſuiſti pro me. Ego autem ſemper amo me plusquám Te, quia deſero Te, tantum ne quid affligat me.

Eò uſque aſcendit ſuperbia mea, ut laudari ambiam. propter dona unicè tua. Omnia bona mea tua ſunt. Omnia mala mea, mea ſunt. Solus igitur lauderis Tu, ſolus vituperer ego, ut ſuum cuique tribuatur.

MARTIUS.

1.

O Quam levicula res mihi gaudium parit? quale igitur gaudium erit, cum Te, bono fruar infinito? Tu finis esto desideriorum meorum, tu Satietas mea magna nimis, Tu Æternitas æternitatis meæ.

2. Quid volo hoc aut illud bonum differre in crastinum, quod possum exequi hodie? hodie mihi gratiam suam Deus offert: an eandem sim cras habiturus, aut eam ego acceptaturus, incertum

certum eſt. Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

3. Quid non faciunt filij hujus ſæculi mundi gratia! quám patienter in omnem ſe partem verſari ſinunt! Inficiari non poſſum: laborioſius illi ſerviunt Vanitati, quam ego Veritati.

4. Si Deum ſincere quæro, etiam in adverſis gaudium invenio. Si Deum non ex toto corde inquiro, etiam in illis tædium invenio quæ mihi alias delicioſa fuerant. Diligam igitur De-

Deum ex toto corde meo.

5. Ducimur affectu in hos Quos amamus, quidquid fecerint, toleramus & excusamus. Quos odimus, aut saltem non amamus, quidquid egerint, carpimus & accusamus, raró rem in se judicamus.

6. Quó magis pati fugio, eò plura, quæ patiar, invenio, & ægriùs patior. Si generoso animo sustineo, quæ accidunt, vix, quæ patiar, invenio. Difficultas in patiendo crescit & de-

crescit cum imaginatione patientis.

7. Prima S. Thomæ Aq: adolescentuli quæstio, eàque frequens erat: Quid est Deus? Nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem. A Christo Crucifixo audivit: Bene de me scripsisti Thoma, quam ergo mercedem accipies: Cui ille: Non aliam, nisi Te ipsum.

8. Nihil vile, nihil contemptibile debet dici, quod propter Deum sit. Ex omnibus

nibus titulis, quibus homo grandeſcit, ſine dubio maximus ac honoratiſſimus eſt, eſſe ſervum Dei.

9. S. Franciſca Rom. in monaſterium, quod ipſa condidit, humi proſtrata ſuſcipi petijt, indignam ſe profeſſa quòd & peccatis obnoxia eſſet, & annorũm flore in mundi vanitate conſumpto, fæcem ætatis Deo daret. A marito inter preces avocata ter obtemperavit, & poſt auro exaratum verſiculum reperit,

rit, quem ter ex obedientia reliquit.

10 Quamprimum viribus meis confido, imbecillitatem meam experior; cùm verò poſt omnium virium mearum contentionem in Deo fiduciam, in me diffidentiam repono, feliciſſimum robur accipio,

11. Si anima e Purgatorio egreſſa ad alloquendum Te veniret, quid, putas, tibi dictura eſſet? Hoc ipſum ipſe tibi dic, & fac, quod olim factum fuiſſe

vel-

velles, cùm eodem deveneris.

12. Titulus summi Pastoris: *Servus servorum Dei:* inventum Magni Gregorij est. Inter pauperes, quos magno numero pavit quotidie, Christum habuit hospitem. Plerumque æger & afflictis viribus scripsit plurima, fecit maxima. Verissimé: Qui fecerit & docuerit, hic *Magnus* vocabitur in regno cœlorum.

13. Si te nulla inurbanitas, ingratitudo, aut malitia

tia proximi tui ad impatientiam commovet, tunc enimverò credam. magnanimum te & patientem Christi imitatorem esse.

14. Humanitas invincibilis vincit omnia. Nullum cor adeò durum est, quod verbo humaniore non emolliatur. Humanitas nulli non pectori vim infert, sed amabile Humanitatis idioma nemo non intelligit.

15. Loqui suo tempore, & suo tempore silere, utrumque

rumque artis eſt: quod nam ex his majoris? Credo equidem, ſæpius te pœnitentia fuiſſe ductum locutionis, quam ſilentij.

16. Si Deum verè & ex animo amarem, nunquam mihi mora cum ipso longa foret. Si Deum verè & ex animo amarem, nunquam ab ipſo ad alia properarem & properando proderem, me ad iſta magis, quam ad ipſum affici.

17. Sine, ut arbitrio ſuo Numen diſponat omnia.

Miraberis aliquando, ſummè tibi profuiſſe, quod credideras obeſſe. Nunc tibi ſatis ſit, Sapientiſſimum Deum ſic voluiſſe, qui plura longè poteſt facere, quàm tu capere.

18. Nemo querulus dixerit, ſe parùm poſſe, nullam eſſe operam ſuam. Multum poteſt, qui poteſt Deum amare. Cætera deſint omnia, hoc uno poteris omnia.

19. Jacob genuit Joſeph Virum Mariæ. Joſeph cùm

eſſet juſtus, nolebat eam traducere. Vade in Ægyptum, & eſto ibi, uſque dum dicam tibi. Pater tuus & ego dolentes quærebamus Te. Et erat ſubditus illis.

20. Erant ambo juſti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela. *luc.* c - 1 - O ſanctum par conjugum: ex quibus Dei Mater procrearetur. Joachimo collis erat Oratorium, Annæ hortus. Facultates Deo, pauperibus,

bus. & propriæ neceſſitati cedebant. S. Dam.

21. Hominem, quocunque ingenio præſtet. ſi humilitate careat, non æſtimes. S. Benedictus. Qui bene vult regere, amet ſuos, & à ſuis ametur neceſſe eſt. Idem.

Qui ſilentium, ſolitudinem, cordis Puritatem, & veram devotionem non amat, nihilunquam ad DEI gloriam magnum præſtabit. Jdem.

22. Si proximum meum

veraciter propter Deum amarem, ex corde gauderem, cùm omnia ei ſuccedunt proſperè, cùm omnes de eo loquuntur honorificè, cum ab omnibus amatur tenerrime.

23. Verba ſua ita ſuperior appretiet, ut juramenta. Hinc nihil temerè dicat, nihil promittat, quod certò præſtare non poſſit. Qui amittit apud ſubditos fidem, amittit ſui reverentiam.

24. Oculus animæ intel-

lectus

lectus est, ocularia passiones. Per hæc quidquid intuitus fueris, colore vitri imbutum credes. Si sincerè rem vis videre, ocularia tua sine colore sint; si intelligere, animus sine passione.

25. Maria Virginitate placuit. Humilitate concepit S. Bernard.

Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat: nunquam super choros Angelorum sublimata ascendisset, nisi priùs infra homi-

nes humilitate descendisset. S. Bern.

Putandum est, Deum, quid qvam gratiæ Mariæ non denegasse, quam secundùm suam potentiam puræ creaturæ dare potest. *S. Thom. 3. p. q. 7. a.* 10.

26. Si proximum meum propter Deum verè diligerem, nulli non sumptui parcerem, quo ipsi succurrerem, dolerem cum dolente, gauderem cum gaudente, commoda ipsius & incommoda mea putarem.

27. *Sæpe* nos DEUS in parvos defectus labi ſinit, ut inde diſcamus, quàm debiles & labiles futuri eſſemus in magnis periculis & tentationibus, niſi nos ſpecialibus identidem auxilijs roboraret.

28. Satis habes, quod agas, ut te ipſum pene regas: agis itaque valde imprudenter, ſi deſideras alijs præeſſe. Maximum dominium eſt, quod exercere homo poteſt, eſſe dominum ſui ipſius.

29. Ita peccatis & imperfectionibus ſcatemus, ut, ſi his corrigendis inſiſtere voluerimus, tempus & moram habituri non ſimus, quo aliorum defectus examinare poſſimus.

30. Neminem præter me ſine peccato odiſſe poſſum; ipſe enim mihi infenſiſſimus hoſtis ſum. Quidquid alij moliantur, nocere mihi, ſi ipſe non velim, non poſſunt. Et tamen nemini magis, quàm mihi ipſi credo.

31. Nunquam ſolus es, etiam cum maximè ſolus es. Duo ſunt, qui tua omnia præſentes arbitrantur. In horum duorum conſpectu ita ambula? ut nec erubeſcere, nec timere debeas.

APRILIS.

1.

O Longa Æternitas! omni labore, omni conatu digniſſima. Quid non faciendum tibi, ut æternùm beatus ſis? Quid non patiendum tibi, ut æternùm-

damnatus non ſis? Nihil grave ſperanti aut timenti æterna.

2. Cor nunquam habebit quietem, niſi cubaverit in ſinu devotionis. S. Franc. de Paula.

Honor, quo me mundus afficit, ruborem mihi exprimit, cùm me multò melius quàm ulius alius noverim Idem.

Quantò liberalior es erga Deum, tantò erga te liberaliorem experieris, Idem.

Tan-

Tantum habebis virtutis, quantum humilitatis. Idem.

3. Poſt annos quinquaginta jacebis in tumulo, & quid tibi tunc ſupererit? Præter bona & mala opera nihil. Fac igitur nunc, quod tibi ſolatio eſſe poterit tunc.

4. Omnes tanquam vitrei tractandi ſumus, quia ſolida virtute inſtructi non ſumus, Tinnimus; cum tangimur, tinniendo pordimus, quòd ſolidi non ſi-

ſimus.

5. Vexatio (vulgariter loquimur) quandoque iucunda eſt, quandoque utilis, ſæpius autem offendit. Niſi artem hanc callueris optimè, melius tibi erit, non poſſe offendere, quàm in Periculo offendendi non offendiſſe.

6. Si quid non vis ſciri, dicito nulli. Quod alium ſilere vis, ſile. Si tu, cujus intereſt, ſilere non Potes, quomodo ab alio, cujus ſilere non intereſt, ſilen-

ſilentium expectabis?

7. Poteſtate optimè utitur, qui moderatè. Qui totam utitur, exacerbat obedientiàm; qui nul am. non obtinet. Si quem regi, one ra, non preme. Habet obediens, quod faciat, non, quod deſperet.

8. Quàm plurimos reperies, qui in mille cruciatus ſe offerent. Aſt ubi voluptas allicit, aut ocaſio, in lapſum molles ſunt. Ingemiſcunt, ab alijs Deum offendi, ignari, à ſe colis

idola cupiditatum.

9. Quid in hora vitæ tuæ ultima fecisse voles? Quid tunc optaveris, optare tuum frustra erit. Nunc fac fructuosè, quod tunc optabis luctuose, ut, cum venerit hora, gaudeas gloriose.

10. O tempus! ô occasio! quoties vos manibus meis elabi patior? Nulla jactura gravior est, quàm temporis & occasionis. Omnia alia reparabilia: Tempus & occasio semel amissa.

amiſſa ſemper amiſſa.

12. Multa ægrè fero, & modo huic, modò illi indignor; ſed planè immeritò, cùm à me ipſo impetrare non poſſum, quæ volo. Tibi iraſcere, dum à te impetraveris omnia; dein iram in alios extende.

12. Qui tuum, Domine, alloquium deſiderat, ab omni ſe tumultu expediat. Qui ſine neceſſitāte, aut vera charitate negotijs ſe implicat, loquentem Te. non audiet.

13. In omnibus functionibus tuis hunc in modum te alloquere: qua putas perfectione munus hoc Beatissima Virgo peregisset? ad hanc Ideam, quam tibi de cœlitum Regina formas, omnia opera tua exige.

14. vince teipsum sæpe in parvis rebus, & tunc facile te vinces in magnis. Si pulicis ictus ad impatientiam te concitat, si verbum, quomodo feres ictum gladij? tamdiu nobis fortes

sumsu,

ſumus, quamdiu inexperti.

15. Curioſitas multarum cogitationum Mater eſt. Si vis quietus eſſe, ſine omnia vadere, ſicut vadunt, quæ te non concernunt. Quid noſſe vis illa, quorum notitia te meliorem non facit, quietum eſſe non ſinit?

16. Quare triſtis eſ anima mea, & quare conturbas me? ſi Deum ex toto corde quæris, invenies; & hunc cùm habueris, quid ultra poteris habere? quid ſperare? quid timere?

17. Ut nihil, patiaris habeas, in tua non eſt, poteſtate. Ut verò, quod pateris, patiaris bene, in tua eſt poteſtate cum gratia Dei Pati aliquid debes; tantùm cura, ne fruſtra, ne ſine merito, ne cum damno.

18. Qui probus eſt, non ideo etiam triſtis eſt, cùm probitas veræ lætitiæ fons ſit. Improbus autem qui eſt, ideo triſtis eſt; nam cauſam lætandi non hàbet, quæ eſt nomen ſuum habere

te ſcriptum cœlis.

19. Tibi Soli placere affectat cor meum, ô DEUS meus. Et ideo adverſa & ſecunda, quia á te ſunt, amandi Te materia mihi ſunt, & ideo tibi placendi. Imò, ut mihi ſolus placeas, affecto: illud enim bonum mihi, hoc quaſi bonum tibi.

20. Peccata mea ſcio, proximi neſcio. Æquum proinde eſt, ut me propter ea, quæ ſcio, vilipendam; proximum meum, propter

ea,

ea, quæ neſcio, non judicem, non contemnam, meipſo meliorem credam.

21. Avicula, ne avolare poſſit, à minimo etiam filo tenetur. Anima, quò minus ad Deum ſe levet, ab una ligatur affectione. Utut hæc ſit modica, tenet tamen, & à non modico retinet profectu.

22. Væ tempori, quo potui amare & non amavi Te, Deus meus, bonum infinito amore digniſſimum. Nunc ſaltem amo & aamabo.

amabo Te, dum tempus habeo amandi Te. Compensabo hodie, quod omisi ab omni tempore.

23. Amor proprius facilè nobis persuadet, omnes omnia nobis debere, cùm tamen, si bene nos nôssemus, nihil nisi contemptum & opprobrium expectare deberemus. Qui novit te, non amat te; hinc amas te, quia non nôsti te.

24. Allapsa est vox de cælo: Noli timere, Georgi, quia ego tecum sum.

Con-

Conjuraverit contra te totus mundus, dum Deus tecùm ſit. Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Delicatus es miles, ſi putas, te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. S. Chryſoſtom

25. Deſcendit Angelus Domini ad S. Marcum in carcere & dixit: Marce Serve Dei, nomen tuum ſcriptum eſt in libro vitæ O conſolatio ſolida, quam mundus dare non poteſt cum omnibus bonis ſuis.

Invi-

Invisit ipsum Christus dicens! Pax tibi Marce Evangelista meus. O bonum Dominum, qui tam amicè tractat servos suos!

26. Aspice Christum Crucifixum, & cogita, quid ex Cruce ad te loqueretur, si loqueretur. Audies amoris in te miracula, & ideo tot redamandi Christum motiva.

27. Teneriores affectus nolim contemnas, nolim super omnia appreties: Virtutis illicium aut præmium ali-

aliquod ſunt, ipſa virtus non ſunt. In ijs non quieſcendum ſinè ijs non deſiſtendum.

28. Multum facit, cùm aridus es, ſi imperturbátꝰ es. Non niſi fortis amator illam mentis orbitatem ſuſtinet & à ſtatuto actionum ſuarum penſo deffectit Sufficit ei, ſpectaculum Deo eſſe.

29. Innocens à ſuis in carcerem miſſus eſt Petrus M. diu tulit infamiam tandem Chriſto Crucifixo

queſtus

questus est: Domine, quid feci? cur non defendis innocentiam meam? Cui è Cruce Christus: Et ego Petre, quid feci? Deipara, alteram ejus refugium, è statua sua illum allocuta est: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua. Vit.

30. Quo die communicavit aut Sacerdotem communicantem vidit S. Catharina Senen: omnem cibum alium nauseavit. Cogita tu de me, ajebat ad

eam Christus, & ego cogitabo de te. Optione data spineam coronam maluit, quàm auream.

MAJUS.

I.

O Stende nobis Patrem, & sufficit nobis: vox fuit S Philippi Ap. S. Jacobus Ap. cognomentum *Iusti* etiam á Judæis habuit. Non nisi magna & constans virtus hostium quoque approbationem obtinet; utut hi arduam fugiant,

giant pulchram tamen & constantem laudant tandem.

2. Quatuor Imperatores S. Athanasium, calumnijs, exilio, & omni persecutionum genere exagitarunt. Athanasius uno Deo fretus evasit omnes. Felix qui habitat in adjutorio Altissimi. Quinquennio habitavit in cisterna, mensibus quatuor in sepulchro, mille mortes antè subiturus, quàm à veritate recessurus. Mortuus est Alexandiæ in le-

cto suo; Si Deus pro nobis, quis contra nos?

3. In hoc signo (Crucis) vinces. Quid? mundum, carnem dæmonem. Quomodo? patientiam. Nemo, quantum profecerit, nisi inter adversa cognoscit. Nimis delicati sumus, si hic volumus gaudere cum sæculo, & ibi regnare cum Christo, qui non aliam quàm via Crucis, ad Cælum præijt.

4. Amore meo dignissimus es propter bonitatem

tuam erga me Si autem erga me bonus non fuisses, tamen amore meo dignus esses, quia in te infinitè bonus es. Quia igitur bonus es, amo Te.

5. Quàm subitò factum est mihi svave carere suavitatibus nugarum! ejiciebas enim tu, & intrabas pro ejs mea vera & summa suavitas Atque ita quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. S. Augtst. l. 8. Conf: c. 11.

6. Promptè S. Joannes respondit Christo: Possumus. Æquè promptè hodie implevit, quando flagellis cæsus præsente senatu & innumero populo in labrum oleo bullienti effervescens ingressus est. Bene idem: filioli, non diligamus verbo, neque linguâ, sed opere & veritate.

7. Quem primæ statim relationes occupant, aut difficultate dejiciunt, ineptus ad gubernandum est. Longanimitate opus est &

magna-

magnanimitate. Primus de re conceptus nec adorari debet, nec calcari.

8. Plùs quære DEUM ipſum, quám blanditias illius: Deo enim ſerviendum eſt non gratiâ commodi, ſed æſtimatione dignitatis. Si tamdiu quietus es, quamdiu tibi DEUS dulcis eſt, in virtute puer es.

9. Quid plauſus hominum, quid pompa juvat? Pauculi labentur anni, & dicetur tibi: migrandum

eſt. Et migrantem neque ora hominum, neque luxus Veſtium, neque loculi ſequentur. Quod coram DEO tuum fuit, erit.

10. Genarum purpura, oculorum vigor, & corporis totius habitus mutabitur. Carnem tuam vermes exedent, & tui memoria etiam apud amiciſſimos paulatim interibit. Interim ubi anima?

11. Anima tua in graviſſimis pœnis luet peccata: ah! peccata, quæ tam facile,

fácile, tam petulanter perpetrâsti, nolens unquam cogitare, eorundem tibi aliquando rationem reddendam esse.

12. Rides nunc in ijs, quæ sanguineas tibi lacrymas exprimere deberent. Dolebis & frigidùm sudabis, cúm ad mortem, ad judicium, ad pœnas ventum fuerit.

13. Si Deus quinquaginta annorum pœnitentiam quinquaginta annorum beatitudine remuneraretur,

ſatis ſuperque daret. Quid ergo non facere, quid non pati oportet pro æternitate?

14. Nulli rei ita animum tuum alliges, ut non illico, & ſine lucta eam poſſis deſerere. Si hæres, ſi dubitas, jam captivus es, jam non ſine violentia rei inordinatè amatæ & cupitæ te ſubtrahis.

15. Vide, ne lingua tua manu tua major ſit. Erit autem, cùm plura promiſeris, quàm feceris. Aut,

non

non promitte, aut, quæ promittis, imple. Fides aut non danda, aut servanda.

16. Homines, facilè decipies; bonis ſcilicet verbis, obſequioſis manibus & pedibus. Apud Deum iſta nihil valent omnia, ſi tua non venient ex corde puro & ſincero obſequia. Sunt corpus ſinè anima.

17. Quocunque inter homines titulo honoreris, ſi Filius DEI non es, nihil

es. Quocunque apud homines contemptu abjiciaris, si Eilius Dei es, honoratissimus es. Tantine tibi hactenus fuit, Filium Dei esse?

18. Qui nimium dejectus est, cùm patitur, nimium quoq; arrogans est, cùm imperat. Nequit gubernare, qui alios nequit sufferre Imó nequit præesse qui suspicionibus, se pati, subjacet.

19. Minus obsunt Virtuti externa opera quàm inter-

internæ passiones. Illa enim vitam activam, si bene suscipiantur, juvant; hæ autem, ne quidquam bene moliaris, impediunt.

20. Quàm terribile erit primum illud post mortem momentum hominibus, qui sinè Dei timore viventes in omnium rerum abundantia vixerunt? miserabilis erit ab uno extremo ad alterum transitus.

21. Qui intelligit super egenum & pauperem, sua-

vissimè in Christi cor se insinuat, ut in die mala eum liberet, quâ sibi da, tum, quod fuit pauperi. liberalissimè remunerabitur. Habe cor Hominis, habe Christiani.

22. Nulli patebit cœli janua, nisi in ipso vestibulo dignum cœlo facino exhibeat. Quæso te, quid ex omni vita tua cœlô dignum exhibebis? fac adhuc hodie, quod exhibeas, ne forsan hodie excludaris à cœli limine.

23.

23. Amicos & Benefactoros suos etiam pueri, quin & bruta amant. Inimicos autem & persecutores soli Christiani, in arte amandi Sanctissimé versati. Tune inter illos?

24. Fixum ratùmque tibi sit, nunquam in illo statu vivere, in quo non auderes mori. Securius est, perire non posse, quàm juxta periculum non perijsse.

25. Sic vivi hodie, quasi dies iste vitæ tuæ foret

ultimus. Si in craſtinum ſupervivis, etiam craſtinum tibi ultimum crede. Unus certè erit ultimus, & ille, ſi ſic vixeris, optimus.

26. Qui fieri poteſt, ut quis in Deum credat, & rem creatam ei præferat? S. Philippus Nerius. Quotidie Deum manducare & eum non amare, res eſt terribilis. Idem. Si Deum & ſanctam ejus gratiam in nobis operari permitteremus, quid non efficeremus? Idem. Poſtquam

Chri-

Christus omnem suum Sanguinem pro una anima profudit, quid ego conquerar de labore meo in animarum obsequio? Idem.

27. Nihil in te magnum nihil nobile, præter aniamam; hnc plùs omnibus mundi bonis dilige. Hanc servare, est omnia servare; hanc perdere, est omnia, & æternùm perdere.

28. Antè, quàm certi aliquid statuas, diu multumq.

tùmque delibera, consilio etiam aliorum inplorato. Ubi statutum est, non facilè muta, non tarda exequi.

29. Vix illum inter Christianos censeo, qui timet, ne, postquam fideliter & ex toto corde Deo servijt, à Deo in fine deseratur. Antè Filium mater, quám Deus fidelem servum derelinquet.

30. Qui verè probus est, plus virtutis & bonorum operum intus reconditum habet,

habet, quám foris videant homines. Soli ſimus ſimiles, quem nunquam totum videmus.

31. Cùm ad peccatum tentaris, cogita : forſan hoc erit últimum quo numerum peccatorum compleam, poſt quod à DEO aliam gratiam, quám ſufficientem non accipiam. Judicia Dei abyſſus multa.

JUNIUS.

I.

AD bonun opus allice-
ris?

ris? cogita: forſan huic operi prædeſtinatio mea alligata eſt? ita ut, ſi hoc egero, Deus decrevit, me æternum ſalvarè, Judicia Dei abyſſus multa!

2. Illius gratiam aucupemur, qui ſcit, qui vult, qui poteſt nos juvare. Illum amemus, cujus gratiâ nunquam excidimus, niſi ſcienter & libere ipſi velimus. Omnis alia gratia aut non obtinetur, aut ſine culpa amittitur.

3. Parùm differt à deſperato

ſperato, qui obſirmavit vivere ſine alimento. Alimentum animæ Oratio eſt. Non igitur ſperet, ſe, diu victurum in gratia, qui non continuò ſe ſuſtentat oratione.

4. Amare, à quo non poſſis amari, erroris eſt: à quo poſſis non amari, periculi: â quo non poſſis non amari felicitatis. Errorem habebis in amore temporalium; periculum in amore hominum; in amore Dei felicitatem.

5.

5. Quidquid invito tibi potest eripi, ex illo bonorum genere non est, quod te verè possit felicem facere. Desere, quod aliquando debes deserere, aut á quo debes deseri.

6. In aula nunquam contentus vixi, extra aulam semper. S. Norbertus. Vita austera voluptatum ferax est; nemo autem credit, nisi qui experitur. Idem. Mille mundi tanti non sunt, quanti pax, quanti conscientia bona,

&

& disciplinæ amas cor. Idem.

7. Felix est, qui contentus est. Contentus est, qui sua desideria non extendit ultra, quod habet, sed in eo, quot habet, habet satis. Estne aliquid extra Deum, in quo possis habere satis? quid igitur concupiscis?

8. Magna proponere, magni animi est: Pessime tamen, quandoque magna proponunt. Quid igitur? magna proponere, & proposita exequi, magni animi

mi eſt. Infernus boniſ propoſitis plenus, Olympus factis.

9. Manibus ſad tergum complicatis & genibus in terram fixis audi Divinam in te ſententiam de vita hactenus acta. Pete veniam, pete inducias, promitte emendationem, & utere tempore ſalutis.

10. Qui non identidem alium in ſuperiore conſiderat, quám videt, cito illi tantùm, quem videt, obediet, & faciet ex virtute

tute

tute ſervitutem. Qui autem illi obedit, quem non videt, faciet ex ſervitute virtutem.

11. Si imperas, memento, te eſſe hominem, & hominibus imperare. Per primum diſces humilitatem, per ſecundum humanitatem. Utraque virtus imperantibus neceſſaria eſt ad modeſtiam, obtemperantibus ad tolerantiam.

12. Raró fallit aut fallitur fere omnium de quodam opinio. Qui malus

 eſt,

eſt accommodare ſe uni poterit, vix omnibus. Qui tibi ex toto placet, & omnibus extoto diſplicet, ſuſpectus ſit.

13. Sic age ſemper, quaſi Deum cum Antonio in ulnis habeas. Sic deliteſce ut non niſi coactus in publicum prodeas. Sic ſuper alios emineas, ut omnibus velis ſervire. Sic in honore ſis, ut tui non obliviſcaris Sic animo ad cœleſtia intento ſis, ut cum Antonio moriente

te poſſis dicere: Dominum meum video.

14. Quomodo Deo audes toties aliqua promittere, & non præſtare promiſſa, qui gloriaris, etiam homini nihil promittere, quæ non præſtes? S. Baſilius. Qui in virtute ſe exercuit, gaudijs nunquam caret, qui peccavit, nunquam dolore. Idem. Theſaurus tuus eſt humilitas; ſine hac enim divitiæ tuæ nihil ſunt; cum hac etiam inopia tua divitiæ. Idem.

15. Qui aliis præsunt, non verba tantum, sed ipsos etiam vultus bene instruant Subditorum enim non aures tantùm sed & oculi delicati sunt, & quæ non audiunt á Superiore, ex vultu divinant.

16. Nemo sibi fidat in agendis, qui experientiam non habet in agendis, quocunque ingenio polleat. Ingenium, quid possit fieri, docet; experientia, quid fiat.

17. Neminem contem-

ne:

ne: neque enim tu tam felix, aut alter tam vilis, ut prodesse tibi aut obesse non possit. Ludit in orbe terrarum Deus, & summa imis confundit. Tu descendere, ille potest ascendere. Et si hoc non fit, homo est, Dei imago est.

18. Qui alios regit, amet virtuosos, & faciat se á virtuosis amari. Omnes audiat, & audiendo, virtuosos ab adulatoribus discernat. Illi disciplinam quærunt, isti se.

19. Diſſimulat aliquando Deus punire peccata, quia longanimis eſt. Non omnino & ſemper impunita reliquit, quia juſtus eſt. Vide, ne longanimitatem extendendo incidas in juſtitiam.

20. Si quem quocunque modo punis, nunquam puni tantùm, ut puniatur, ſed ut emendetur. Et ita puni, ut advertat, ſe non puniri, ut ſibi malè ſit, ſed ut melior fiat.

21. Pepigit fædus cum oculis

oculis ſuis Aloyſius, gnarus, quod oculus non videt cor non deſiderare. Carnem ſuam tractavit hoſtiliter, & habuit obſequentem, tu habes rebellem, quia palpas. Nullam unquam regulam violavit ſciens. Obſervatio mandatorum nota Chriſtiani, Regularum eſt Religioſi. Acquievit in habendo nihil in deſiderando nihil præter Deum. Quo evagaris? unum quære, in quo ſunt omnia.

22. Qui non operatur bene, fidem habet otiosam; qui malè, mortuam. Non sufficit, esse in intellectu fidem, sit & in manibus. Per illum credimus vera, cum his credimus verè.

23. Qui alios bona intentione deferunt. Pauló minùs dicunt, quâm sciant: qui malâ, non pauló plùs. Illi optant emendationem, hi pœnam. Illi quasi parturientes loquuntur, hi quasi ovantes. Ante omnia vide, an te talem

habere

habere possis, qualem vis.

24. Erit magnus coram Domino, Angeli de Joanne vox est. Nemo magnus, qui non est magnus coram Domino. Tam magnus prodijt ex solitudine; hæc enim mater est Sapientiæ, quâ grandescunt, qui magni sunt. Humiliavit se infra corrigiam calceamenti, & exaltata est manus eius supra caput Christi. Nemo magnus coram Domino, nisi humilis. Veritatem dixit etiam Regi,

& hæc eum maximum fecit coram Domino, cùm eum minuit capite.

25. Si cœco diceres, Regem coram adesse, nonne gestus componeret ad reverentiam? Quid refert, non videri â te Numen, si noveris astare? Fides, non oculus imperat reverentiam.

26. Superior suos non pascat fucis. Deo non crederent porrò homines, si vel semel se viderent deceptos. Malunt subditi

non

non juvari, quâm ſtudiose lactari. Sit ſermo veſter, *eſt eſt, non, non.*

27. Periculoſum eſt, tunc mori diſcere, cùm moriendum eſt. Mors à longinquo efficitur bona, non ubi præſens eſt. Antequam moriaris, morere meditando mortem, & ſic moriendo diſces mori.

28. Omnia ſollicitiùs curamus, quam nos ipſos. Dies & annos negotijs impendimus, paucas horas nobis, ſi tamen aliquas.

Quid habes, si habes omnia & te perdidisti? summum negotium tuum sis Tu.

29. Hi sunt Magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ pleniùs didicerunt. S. Bern: de SS. Ap. Petro & Paulo. Quid docent nos? relinquere omnia, & inter omnia etiam nos; & sequi Christum. Non degeneremus a præcelsis cogitationibus majorum nostrorum! si non pro Christo ad Sanguinem,

guinem, ſaltem laboremus ad ſudorem & defatigationem.

30. Gratia Dei in me vacua non fuit, ait de ſe S. Paulus. quid tu de te? Ego oſtendam illi, quanta eum oporteat pro nomine meo pati, ait de S. Paulo Chriſtus, quid de te? Quid nos ſeparabit à Charitate Chriſti, ait S. Paulus, totum mundum contra ſe provocans. An idem tibi animus!

JULIUS.

I.

NOn eget obſequijs tuis Deus. Quid igitur te angit, quód non poſſis plura? Si ea DEUS voluerit, absque tua opera poterit. In uno duntaxat Deus Socias à te manus requirit, ut, quod vult, facias.

2. Inviſit major minorem, inſervit Domina ancillæ, Mater Domini honorat matrem ſervi. O quám retinentes nos ſu-

mus

mus imaginariæ præcellentiæ nostræ! Magnificat anima mea Dominum, vox est Virginis Nos magnificamus nos ex ijs, quæ à Deo accipimus. Quia fecit mihi magna, qui potens est, vox est gratitudinis Marianæ. An non & tibi magna fecit, & taces?

3. Præstat decipi, quàm importunè diffidere, si præes. Faciliùs corriguntur, qui peccârunt, quám qui exacerbati sunt. Nec cæcum esse juvat, nec nimis ulócatum.

4. Plerumque præſtat, ſanctè moderari affectionem unam, quám in mille cathedris virtutem docere. Tuâ enim magis intereſt, ut perfectior fias, quàm ut pereas, omnibus ſalvis.

5. Tantum valet res, quantum Deus eam facit valere. Tantum Deus eam facit valere, quantum ad finem bonum valet. Sæpe medium pro fine habemus, dum rem non amamus, quantum valet, ſed

fed quantum valere vo-
lumus.

6. Multùm ex erratis
tuis proficies, fi inde te
amplius demiferis. Errafti?
dole; fed ita, ut majori
animo ad obfequium Dei
furgas, & defectum fervo-
re compenfes. Errorem
auges, cùm animum de-
jicis.

7. De fructu fuo nihil
perdit, quem ab orandi
ftudio negotia avocant,
dum modo vel obfequendi
lege, vel pia neceffitate
fufci-

ſuſcipiantur. Deo obſequendum: non refert, in quo.

8. Dæmonia ſolatiorum ſubtiliùs nocent, quám tribulationum. Illa faciunt, ut tibi de virtute ſuſpectus ſis, hæc, ut ad virtutem, quam non habes, ſtudiosè eluctêris. Arbor magis radicatur, cùm impetuoſiùs á ventis impugnatur.

9. Superior etiam in hoc Deum referat, quòd memini ultra meritum faveat,

veat, ultra demeritum infestus sit. Illud invidiam, hoc desperationem concitat. Omnibus Deus sit.

10. Non illum devotum dixerim, qui multùm orat; sed illum, qui ad omne bonum status sui pronam habet voluntatem, &, cùm res postulat, efficaciam. Devotus enim, etiam dum non orat, esse quis potest.

11. Orare, & se non mortificare, est seminare, & non occare. Quod oran
do

do seminatur, mortificando firmatur. Hinc tot orant, & quia se non mortificant, non meliorant.

12. Caput inclinat Gualberto Christus, ignoscenti amore Christi. vis, ut etiam tibi ad Vota tua annuat Christus? ignosce. Cui? omnibus. Quare? Illius amore, qui pro Crucifixoribus suis oravit, & te, sæpius inimico suo.

13. O quot Deus habet strenuos milites ad fornacem domi? Omnium manibus

nibus portantur; in Potentium ſinu requieſcunt; habent quod volunt; hoſtem non vident; adverſi nihil patiuntur. Cuius tu milites dixeris? Chriſti?

14. Sancto Thomæ Bibliothecam videre cupienti Sanctus Bonaventura Crucifixum exhibuit cum dicto: Ecce librum! O librum, in quo Amor Sanguine omnem ſcientiam exaravit! Expoſcenti fraterculo, an idiotæ, illiterati, ac ſimplices æquè

ſancti

fancti esse possint, ac viri docti? respondit: Nunquid potes amare Deum, æquè ac viri Docti? ama, & Sanctus es.

15. Quó magis exsciderïs ex animo rerum transeuntium affectum, hoc uberiùs videbis excrescere amorem rerum cœlestium. Corruptio illarum est harum generatio. Corruptio autem est prior.

16. Ibi nulla virtus, ubi oculata in aliorum vitam curiositas. Quantum curæ

quisque

quisque alijs impendit vitiosè, tantum ſibi detrahit: dum alios malè obſervat, ſe negligit, nec illum, nec ſe corrigit.

17. Mundum decepit ignotus, naturam ſuperavit filius, divitias calcavit hæres Alexius. Decipiendo innotuit mundo; ſuperando exaltavit naturam, divitias auxit calcando. Nulla felicior jactura, quàm pro Deo perdere omnia; nulla glorioſior arena, quàm teſte Deo pugnare.

18. Quidquid naturæ munere vel vitio ſortimur, Dei munus eſt. Si te præ cæteris munificentiùs dotavit, quid grandeſcis contemptu inopiæ alienæ? ex illo capite, quo humiliari debueras, Creatori inſultas.

19. Quid optas Neroniana tempora, qui ingemiſcis ad ſuperiorum onera? probatum martyrium eſt, alieno ſubjacere arbitrio. Patri vitam non immolas, tyranno poſſis? Culicem

quereris, culeum feras?

20. Homo æger, ut ad paucas horas servet vitam, patitur ferrum & ignem, ac lanianti insuper mercedem pendit. Et tu quid gratiæ refers, non sevienti, sed auxilianti, ut æternùm vivas?

21. Non parum periculi ijs imminet, qui, cùm pio æstu incaluerint, jam triumphatas esse suas passiones putant, Altiùs fixerunt radices, quàm ut vas horulæ labor extirpet.

22. O lacryma humilis? tua eſt potentia, tuum regnum; tribunal judicis non vereris, inimicorum tuorum accuſationibuſ ſilentium imponis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem. S. Ambr: I. 4. in Luc: Acceſit Magdalena ad Patrem, & judicem: acceſſit amore & timore: flevit ex amore, flevit ex timore, ex utroque merita eſt miſericordiam.

23. Mi *Deus!* ſi vere humi-

humilis essem, non vellem ullius hominis commiseratione dignus haberi, sed pacatè ferrem ab omni corde, præterquam tuo, exulare.

24. Vehementer decipimur, cùm, quando nobis bene est, credimus, ita nobis semper fore. Mutamur. Ille tamen in ista humana mutabilitate optimus est, qui mutationes suas non ad intima sua penetrare sinit.

25. Plerique in Domo

Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet, ubi à pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. S. Bernard: Serm: 7. super, missus. &c.

26. Virgo Maria dabat Matri Sanctitatem. S. Vinc: Fer:

Venter beatus, in quo
Deus

Deus Sanctificationis arcam, hoc est eam, à qua ipse conceptus est, fabricavit. S. Damascen: Ser: 2. de Nat: V. Virgo Maria Sancta & Sanctorum Virorum filia, cujus parentes fuerunt Joachim & Anna, qui quidem in vita sua Deo placuerunt. S. Epiphan:

27. Virtus maxima vincendi dæmonem & vitia, est in Spirituali gaudio & præsentia Dei. S. Anton: Ab. Nihil ita forte est &

insuperabile, quam cor quod Deum verè amat, & totum mundum non curat. S. Anton: Ab. Ille potest omnia, qui sibi diffidit & fidit DEO. Idem.

28. Si miracula feceritis, sine consilio & obedientia, miracula non sunt. S. Pachom: Fretres mei, nolite ad Martyrium aspirare: Vita enim quam vivimus, diuturnum & durum Martyrium est, si convenienter statui nostro vivimus. Idem. Qui cor

suum

ſuum cordi Dei incorporavit, cor non habet, quo terrena amet. Idem.

29. Cœlum habebit in terra, qui cor ſuum requieſcere facit in corde Dei. S. Ant. Ab. Dæmon nihil ita timet, quam orationem ferventem, humilitatem, & ſidelem amorem. Idem. Ut citò perfectus fias, duo cura: primò ut credas, te hodie incipere. Secundò ut ita Deo ſervias, ac ſi ultimus vitæ dies eſſet. Idem.

30. S. Stephanus Grandimontensis ajebat: unum opus obedientiæ prestat quinquaginta miraculis. Quàm contemptibiles sunt illi homines, qui tantam fœditatem diligunt, & tantam pulchritudinem non amant. Idem.

31. Si totum mundum convertissem ad Deum, quantùm esset in comparatione illius, quod pro Deo facere desidero. S. Ignatius Loj. Quando cor amore agitur, nihil est,

quod

quod affligere possit, nihil, quod impossibile videatur. S. Ignat: Intimo corde doleo, cùm video, me nihil agere, pro DEO, pro quo tamen agere plurima nfinitis titulis obligor. Idem.

AUGUSTUS.

1.

IN agendo cum proximo illud animo statuendum est, fore aliquando, ut omnia sua dicta & facta in vulgus emanent. S. Ign.

In negotjs conficiendis diem potius anticipare, quàm prorogare oportet, ut si quid in crastinum sponsum esset, id hodie persolveretur. S. Ign.

2. Perpetuæ felicitati non est fidendum, & tum metuendum maximè, cùm ad voluntatem omnia fluuut maximè. S. Ign. Si quid rogaris, quod tuæ personæ indecorum est, ab indignatione tempera, & cura, ut &, quod postulatur, neges, & amicum ta-

men

mem eum, qui postulat, benevolùmque dimittas. S. Ign:

3. Nihil diu præ ponderat Veritati. Quare certis in causis præstat silere, quàm loqui, nec vindice opus est stylo, ubi sui ipsiùs vindex & propugnatrix est Veritas. S. Ign. Vivere non possem, si quid in anima mea humanum & non omni ex parte divinum adverterem. S. Ign.

4. Qui mundum semel felici fuga contempsit, ut

Deo serviret, non timet à mundo per mortem exire. S. Dominicus. Negligentia, quæ ex fiducia propriæ virtutis exoritur, tentatio omnium periculosissima est. Idem. Ut citò quis doctus fiat, legat librum amoris & vulnerum Christi. Idem.

5. Cùm omnia desperata sunt & totus mundo contra vos & amicos vestros conjurat, accedite ad pedes Deiparæ Virginis, & in sinum illius vos conjicite. Mihi credite, quia libe-

liberabit vos. Tempus autem eidem nolite præscribere: scit enim illa melius, quid & quando vobis expediat. S. Robertus Ab.

6. Si Deum ex animo àmares, scires, tantum inesse in patiendo pro Deo gaudiorum, ut quidquid est in mundo voluptatum, nullam habeat cum ijs comparationem? S. Ign: In omnibus vince teipsum nec alia ad sanctimoniam viâ incedas, quàm quæ animi domet affectiones. S. Ign.

7. Omne onus amanti Deum leve est. O si homines æque studiosè salutem animæ quærerent, ac bona peritura. S. Cajetan: Quàm parva sunt mundi maxima! quam magna sunt Dei minima homini in procinctu æternitatis stanti! Paul: IV. Pont: Max:

8. Ubi Deus Magister est citò discitur, quod docetur. S. Leo Serm: 1. Pent: Audi docentem, præterit & non repetit.

Qui

Qui animi sui affectiones moderari novit, Dominus est totius mundi, aut regere eas, aut ab ijs regi oportet, Sed melius est esse malleum, quàm incudem. S. Dominicus.

9. Seriò hoc, sæpissimèque consideremus, Dei oculos millecuplo lucidiores sole omnes nostras intentiones atque opera intueri; Deique immensum Spiritum ipsà animâ nostrâ magis præsentem omnia nostra cognoscere.

10. Bona terræ tunc in tuto collocantur, quando serviunt sanctis usibus. Segnior fuit ignis, qui foris arsit, quàm qui intus accendit. S. Leo. Videbatur lætari, non mori Laurentius. Inexpugnabilem fidem superare non poterat sæviens diu plaga, quamvis rupta compage viscerum torquerentur in servo Dei jam non membra, sed vulnera. S. Cyprian.

11. Sæpe non amamus proximum, quia causam genu-

genuinam non observamus, quæ non est utilitas aut delectatio nostra, sed Dei imago & præceptum, quæ duo amore nostro dignissima sunt.

12. Quò plùs curæ habet Religiosus, ut ei bene sit, eò minùs habet virtutis. S. Clara. Erubescat conqueri, qui Christum videt in Cruce pendentem & Sanguine perfusum. S. Clara. Dicunt homines nos esse pauperes. Quomodo pauper est, qui Deum possidet. S. Clara.

13. Vidi quoddam genus hominum nihil unquam laudantium, laudem tamen in omnibus suis actionibus affectantium. Cum his rarus esto: aut enim te habebunt odio, aut pestem suam affricabunt non advertenti.

14. In statera lances duas considera. Quantum una repletur solatijs humanis, tantum altera vacuatur divinis. Hæc augere vis? illa minue. Ambo non convenient: à cœ-

lo

lo ad cœlum non transitur.

15. Tria hæc frequenter examina. Primo: quid tu â Deo velis? secundo. quid á te velit Deus? Tertiò: Quæ res impediat, quò minus hoc exequi studeas.

16. In calamitatum perpessione frequenter hallucinamur, dum causas secundas curiosè attendimus causam verò primam, ejusque finem non observamus. Ista movet, illa paret

17. Qui laudari vult ab hominibus vituperante te ô DEUS! non defendetur ab hominibus judicante te, nec eripietur damnante Te. Etsi autem facilè sit, laude carere, dum negatur; difficile tamen est, ea non delectari, cùm offertur.

28. Utrum malè ames creaturam, inde intelliges, si Creaturæ amor te impediat ab amore Creatoris. Impediet autem certe, si ratio amandi creaturam

non

non sit ipse Creator.

19. Non indigneris, quod alij suis commoditatibus studeant, cùm patiantur, ut tu secteris tuas. Quod tibi non obest, & alteri prodest, indignationem tuam non meretur. Aut avarus, aut invidus es.

20. Verè abortus hujus mundi sum: nam neque Monachus sum, neque Sæcularis sum. S. Bernardus de se. O ingens vanitas! amore tui ô Deus nihil

adhuc

adhuc dum egi, & modò jam finiam? S. Bernard9 de se. Res est terribilis, quòd DEUS se abjiciat in locum infimum, & vilis terræ vermiculus se exlatet S. Bernard.

21. In omnibus cogitationibus, verbis & operibus tria examina; an liceat, an deceat, an expediat. Uno horum deficiente nihil aggredere.

22. De mortuis, absentibus, & Magnatibus semper bene loquendum: aut

enim

enim ſine utilitate, aut non ſine periculo loqueris, cùm aut fautores, aut conſanguinei, aut amici té audiant.

23. Cautè Superlativis, cautè affirmationibus aut negationibus univerſalibus utere, ne periculum falſi incurras. Qui enim nimium rem exaggerat, aut ſuſpectam facit, aut indagari objicit.

24. Centies intèrdiu, centies de nocte oravit S. Bartholomæus Ap. & ideò

uti-

utilissimum Divinæ gloriæ instrumentum, quia cum Deo semper conjunctum. Fuit excoriatus ut Deo tanquam verus Agnus in holocaustum offerretur. S. Thomas de S. Barthol: Pelis detrahitur, cum sæcularibus quibuscunq; pro anima nostra, id est, Christo spoliamur. S. Greg: l. 25. mor. c. 22.

25. Tres viri non inveniuntur in orbe: Verè industrius, qui victu necessario careat: Qui modera-

ta abstinentia valetudini noceat: qui cùm possit audire verbum Dei, negligat, frui tamen sit.

26. Perpetuæ tranquillitatis fundamentum est admirabilis Divinæ Providentiæ dispositio. Ut ut in hominis arbitrio eventus non sit, in ejus potestate tamen est, quovis eventu bene uti.

27. Nihil te effecisse existima, nisi ab animo omnem inquietudinem dispuleris: hac enim stante nun-

quam animus in id, quod facit, incumbet totus, atque ideo non faciet totum.

28. Serò te amavi, pulcritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi! Væ tempori illi, quando non amavi te! S. Aug. Solil; c. 31. Quisquis cognoscit te, diligit Te, se obliviscitur, amat Te plùs quám se, relinquit se, & venit ad te, ut gaudeat de Te. Hinc est ergo Domine, quòd non tantum diligo, quantum debeo,

quia

quia non plene cognoſco Te; ſed quia parum cognoſco, parùm diligo, & quia parùm diligo, parùm in te gaudeo. S. Auguſt: Soliloqu: c. 1.

29. A Te vero gaudio interiori per exteriora recedens, dum te ſolo careo, adulterinas amicitias in his exterioribus quæro, & ſic miſer ego cor meum, quod tibi ſoli debui toto amore totòque affectu impendere, vanis dedi, & ideo vanus effectus ſum,

dum vanitatem dilexi S Aug: Solil: c. 1.

30. Hoc confiteor, hoc ſcio, Domine Deus meus, quia ubicunque ſum ſine te, malè eſt mihi; præter te, non ſolúm extra me, ſed etiam in me, quia omnis copia, quæ non eſt Deus, mihi eſt egeſtas. Satiabor tunc, cùm apparuerit gloria tua. S. Aug: Solil: c. 13.

31. In manibus tuis deſcripſiſti me, ut ſemper ſit memoria mea apud te, ſi

tamen

tamen memoria tua jugiter fuerit apud me. S. Aug: Solil. c. 13. Cùm hoc diligenter conſidero Domine DEUS meus terribilis & fortis, timore pariter & ingenti rubore confundor, quoniam nobis magna eſt indita neceſſitas juſtè rectèque vivendi, qui cuncta facimus ante oculos Judicis cuncta cernentis. 8. Auguſt: Solil; c. 14.

SEPTEMBER.

1.

SIc docuiſti me, ut cognoſcerem me; quia dereliquiſti me, & probâſti me, non propter Te, quod cognoſceres me, ſed propter me, ut cognoſcerem me. Nam credebam me aliquid fore ex me; exiſtimabam me ſufficere per me, nec percipiebam, quoniam Tu regebas me, donec aliquantulùm te elongâſti á me, & cecidi ſta-

tim

tim in me, vidi & cognovi, quóniam tu regebas me, & quod cecidi, fuit ex me, & quòd ſurrexi, ex te. S. Aug. Solil c. 15.

2. Omni momento me tibi obligas, dum omni momento mihi tua magna beneficia præſtas. Sicut ergo nulla hora eſt, vel punctum in omni vita mea, quo tuo beneficio non utar: ſic nullum debet eſſe momentum, quo te non habeam ante oculos in mea memoria, &

te non diligam ex omni fortitudine mea. S. Aug: Solil: c, 18.

3. Non eſt volentis, neque currentiś, ſed tui miſerentis, ut diligamus te. Tuum eſt Domine hoc donum, cujus eſt omne bonum. Jubes te diligi: da, quod jubes, & jube quod vis. S. Aug: Solil: c. 18.

4. O Ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris! O Amor, qui ſemper ferves, & nunquam tepeſcis! accende me, ac-

cendar

cendar inquam, totus à te, ut totus diligam Te! minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quòd non propter Te amat. S. Aug. Solil. c. 19.

5. Principium quietis est finis desideriorum. Principium desiderij est finis quietis. Potest quiescere, qui cessat desiderare. Qui incipit inordinatê desiderare, incipit inordinatè vivere

6. Viro cordato major voluptas est, vicisse volu-

ptatem, quàm cepisse. Voluptatis victoria animum, fruitio corpus afficit; nobilior autem & solidior voluptas est animi, quâm corporis.

7. Amicum habe, qui te, non tua diligat. Amicitia, quæ honestate animatur, vera est, quæ voluptate aut utilitate, ficta. Honesta quæ sunt, semper sunt. Voluptas & Utilitas casui & tempori obnoxia.

8. Quando nata es, ô Virgo beata, tunc vera

nobis

nobis aurora ſurrexit: quia ſicut aurora eſt finis præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, ſic Nativitas tua finis dolorum, & conſolationis fuit initium. Rupertus Ab. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſté ambulemus. Rom: 13.

9. Periclitatur Caſtitas in delicijs, humilitas in divitijs; Pietas in negotijs; Veritas in multiloquio; Innocentia in occaſioni-

bus; Justitia in muneribus; Virtus in prosperitate. Quis evadet? cautus.

10. Homines tota sua virtute singula tandem bene faciunt, plura simul, minimè. Qui plura tractare aggreditur, in singulis ita deficit, ut in nullo evadát egregius.

11. Admodum turpe est, omnia velle corrigere, & quasi allatrare. Qui hujusmodi est, arrogans aut impudens est; neuter benignum habet auditorem, qui corrigi velit. 12

12. Vita humana ludus quidam eſt ac comœdia, in qua non ille excellit, qui principem perſonam agit, ſed qui bene ſuam. Illud in poteſtate choragi eſt, hoc in tua.

13. Si cui obtingunt iſta tria: bona natura, exercitationis occaſio, & præceptor candidè docens: facilè ad perfectam virtutis comprehenſionem evadet.

14 Author pietatis in Cruce pendens teſtamentum condidit, ſingulis pietatis

opera

opera distribuens. Apostolis persecutionem, Judæis corpus, Patri Spiritum, paranymphum Virgini, Latroni paradisum, peccatori infernum, Christianis verè pœnitentibus Crucem commendavit. S. August: Serm: de Pass.

15. Vehementer in multis decipimur. Quare? stultus est, qui equum empturus, illum ex strato & fræno æstimat. Sic stultescimus, cùm hominem aut ex veste, aut ex conditione judicamus. 16.

16. Virtus maximè apparet ex ſubitis. Non diſſolvi ad ſubita gaudia, non abjici ad ſubita damna, â Deo utraque accipere, & in Deo utraque concoquere, non nisi magnæ virtutis eſt.

17. Non ita ſemper laborandum in futurum eſt, ut præſenti non utamur tempore & occaſione. Qui ſemper in futurum laborat, nunquam laborat, ſemper proponit, nunquam exequitur.

18. Non ritu pecorum incedamus: sequuntur antecedentium gregem; eunt, quâ itur. Nos eamus, quâ eundum est. Si boni anteeunt, sequamur, non quia anteeunt, sed quia boni sunt.

19. Nemo non fortiùs ad id, cui se diu composuit, accedit. Imparati etiam levissima expavescimus. Mala omnia novitate sua nobis graviora sunt, præmeditatione fiunt levia.

20.

20. Quò diutiùs vivimus, eò illibentiùs peregrinamur. Agitari ſcilicet volunt juvenes, ſenes quieſcere: Projiciunt illi dies ſuos, hi colligunt. Illi errando diſcunt vivere, hi didicerunt.

21. Dic tu peccata tua, ut juſtificeris: Matthæum ſe & publicanum nominat, ut oſtendat legentibus nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora converſus ſit: cùm ipſe de Publicano in Apoſtolum

ſit

ſit repentè mutatus. S. Hieron, in Evang:

22. Ad docendum mirabiliter propendimus, & ſæpê antè, quàm docti ſimus, & longè ſæpius antè, quàm docenda exercuerimus. Non ita Chriſtus, cæpit facere & docere. Triginta annis in exercitatione fuit, tres docuit.

23. Hodierni ſumus: non enim ſumus, ſicut heri & nùdius tertius: modô alacres in Dei ſervitio, modò mille tædijs obnoxij.

xij. Felix, qui ſe novit, & notum ferre poteſt, & ferendo in bono conſtans eſt.

24. Peritiſſimi qnandoque Gemmarij genuinos adamantes â ſpurijs vix dignoſcunt. Par difficultas inter ämores, cardinalitatem & charitatem. Quandoque vix poſſunt dignoſci, quandoque nolunt.

25. Nemo ſine gaudio eſſe vult. Solum autem, quod ex animo bene compoſito vovit, durabile eſt,

&

& sui possessorem nunquam destituit. Quod desinere te invito potest, nunquam fuit.

26. Quando tecum eris? Utique semper mecum sum. Vagaris. Ingens argumentum compositæ mentis est secum posse consistere. Qui sibi solus esse non potest, vix à pravis affectionibus liber est.

27 Esto liber ab omni creatura, & à corde tuo earum imagines exclude, ut in intimo cordis recessu

ſu Deo & tibi vacare poſſis. In hoc mentis ſilentio & rerum oblivione Te poſſides.

28. Nondum virtutis habitum adeptus es quamdiu virtutis actus absque difficultate, imò cum delectatione non exerces. Verè mali amant vitia ſua, verè boni, virtutes.

29. Quantitas cujuſcunque animæ æſtimatur de menſura charitatis, quam habet, ut, quæ multum habet charitatis, magna

ſit,

ſit, quæ parùm parva. S. Bern: Serm: 27. in Cant. Hinc Zeloſiſſimi Archangeli Michàëlis magnitudinem deſume, deſume etiam tuam.

30. Delicatus es, Frater, ſi & hic vis gaudere cum ſæculo, & poſtea regnare cum Chriſto. S. Hieron: Ep. 6. l. 2.

31 Non vacet mens tua varijs perturbationibus, quæ ſi pectori inſederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum.

ximum. Facito semper aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum. S. Hieron l. 2. Ep. 13. Nos, si veré Christum diligimus, si ejus nos redemptos sangvine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quàm quod illum velle cognoscimus. S. Hieron. l. 2. Ep. 20.

OCTOBER.

I.

ET sanè nescio, an possimus

ſimus leve aliquod Peccatum dicere, quod in DEI comtemptum admittitur. Eſtque ille prudentiſſimus, qui non tam conſiderat, quod juſtum ſit, quàm illum, qui juſſerit: nec quantitatem imperij ſed imperantis cogitat dignitatem. S. Hieron: l. 2. Ep. 20.

2. Nondum ex integro bonus es, niſi aliorum mala in tuum bonum convertas. Ideo enim à Deo permittuntur, ut, quæ uni, vitio ſuo, mala ſunt, pluribus,

ribus, virtute ſua, bona fiant.

3. Animi abjecti & muliebris eſt, cum iis duntaxat verſari velle, qui cedant, applaudant, adulentur. Aſſveſcere oportet etiam inter adverſantes, incompoſitos, rudes & crudos æquanimitatem tenere, ut viri ſimus.

4. Cùm tibi deſunt omnia, dic ex animo: Pater noſter, qui es in cœlis. S. Franc: Seraph: Bonus ſuperior pecuniæ ſimilis eſt,

quam totus mundus ad se rapit. Similis est victimæ, quæ quotidie immolatur: Servus est totius communitatis. S. Franc: Seraph: Sic alios rege, ut velles ab alijs regi. Idem. Quò plùs quis Deum diligit, plùs ama e cupit: unde patet, nunquam amari Deum, ut dignus est. Idem.

5. Ita vivere te oportet, ut quotidie, & omni hora ut, abire paratus sis ad eum qui creavit te; & ita quidem, ut discessus tui memoria

moria triftitiam tibi nullam concitet, nullum langvorem. Sin, alligatus es.

6. In eremum me contuli, ut ibi Deum invenirem, ubi nulli inveniuntur homines. S. Bruno. Cùm mundi demum totius Dominus fueris, quid tibi proderit, fi poftmodum damneris? S. Bruno. Credit mundus, me mundo mortuum, & ego illum tanti adhuc æftimo! Idem.

7. Noli credere, Chriftum â te amari, nifi animas

foveris, quas ille Sangvine suo redemit. Noli credere, animas à te foveri, nisi molestias exhauseris, quas earum cultura facessit.

8. Neminem corriges sine tuo nævo aut alterius tædio, cùm verbis usus fueris contemptum aut injuriam sonantibus. Tota vis reprehendendi in deformitate erroris ad vivum oculis objectanda consistat.

9. O Homo imprudens? millia millium ministrant ei, & decies centena millia

lia assistunt ei, & tu federe praesumis? S. Bern:

10. Vix, quod valde bonum est, sine lucta incipitur. Vix, quod inceptum est, sine tædio continuatur. Vix, quod continuatum est, eodem fervore finitur.

11. Quando nos totaliter, non autem in partes & frusta divisos Domino Deo tradimus, tunc ipse largiter nobis suas infundit virtutes, & omnibus inimicis nostris in tutelam

& defenſionem noſtram ſe opponit. S. Tereſſia c. 8. de via perf:

12. Quia nos totaliter, & ſemel & ſimul Deo non tradimus, ideo theſaurum amoris Dei totum ſimul non accipimus. S. Tereſſia cap: 11 Vit.

13. Rari ſunt, qui verè humiles ſunt. quia rari ſunt, qui quod ſunt, neſciri volunt.

14. Qui Chriſtum dilectum in lectulo propriæ commoditatis ac voluntatis

tis quærit, nunquam illum reperiet. B. Joan: à Cruce.

15. Religiosus, qui Domino Deo in veritate famulari incipit, cùm voluntatem suam jam ei obtulerit, nihil ipsi offerre minus, quàm vitam potest. S. Teressia c. 12 de via perf:

16. Quia Deo non omnia, sed tantum usum fructum damus, fundum verò & hereditatem affectuum nobis retinemus, ideo purum & perfectum Dei

amorem nom consequimur. S. Teres: c. 11. vitæ.

17. Copioso virtutum apparatu instructos eos esse oportet, quorum Deus se regem esse gloriatur, & qui vicissim ipsius regnum sunt. S. Teressia.

18. Amor Dei omnium delectationum oblivionem in animam inducit, ut eum oblectet, quem diligit. S. Teress.

19. Nulla via hominem citiùs expeditiùsq; ad summam perfectionem addu-

cit, quàm obedientia. S. Teresia. Plus Deus amat in te minimum obedientiæ & submissionis gradum, quám odsequia multa quæ illi præstare cogitas. B. Joan: à Cruce.

20. Consultum est in omnibus Dei voluntati acquiescere, & facere de necessitate virtutem: nam sive velimus, sive nolimus Dei voluntas adimplebitur in cœlo & in terra S Teres. c. 32 de Via perf.

21. Qui nullam aliam

crucem, quàm, æquissimo & meritissimo jure sibi impositam, ferre vult, ad quid degat in monasterio, nescio. S. Teres. c. 13 Vita perf.

22. Anima Deum amans, blanda, humilis patiens est, Anima veró dura in suo amore proprio obdurescit. B. Joannes à Cruce. Magna dementia est, malle potiùs Dei amicitiam, quam humanæ amicitiæ legem violare. S. Teres. c. 5. vit.

23.

23. Si intelligeremus quantum charitas proximi nobis ſit neceſſaria, alteri ſtudio non incumberemus. S. Tereſ.

24 O quanto labore, & quàm ferventi amore quæſivit animam amoroſ9 JESUS! Virginis uterum vix egreſſus eſt, & dilectam Animam more infantium vocat A A A! ideſt, Anima mea, Anima, Anima te quæro. S. Bernardin: Serm. 5.

25. Ibi Deus erit omnia

in omnibus, ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine ſine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine defatigatione laudabitur. S. Aug: l. 22. de Civ:

26. Grandis error, ſemper novis inhiare, & nunquam ullis aſſveſcere. Nova ſtudia, novos labores, novas devotiones aſſumimus, & ſumptas paulò pòſt relinquimus, & ſic nunquam proficimus.

27. Ea, quæ ipſi non agimus, omnia noſtri ar-

bitrij non ſunt. Ergo propter illa angi, aut extolli prudentis non eſt. Quæ autem arbitrij noſtri ſunt, ad ſummi Arbitri mentem accurremus.

28. Sacrificulis ad mortem damnatis, & eorum bonis Apoſtolorum Simonis & Judæ voluntati adjudicatis, miratus eſt dux vehementer, quòd Apoſtoli eorum cœdem impedirent, & facultates reſpuerent, dixitque ad Regem: Iſti, ô Rex, ſunt Dii latentes in huma-

humana effigie. Adeò virtus etiam, a barbaris adoratur.

29. Nihil ages invitus, si finis agendi alius non sit quàm quod decet: ipsa enim agendi difficultas in æstimatione decori absorbetur.

30. Multa aversamur antè, quàm causam aversandi habemus. Difficultatem sæpe facit difficultatis timor. Heroica rerum difficilium experientia aut non sentit difficultatem, aut tollit.

31. Nihil eorum aversare, quæ in tua potestate non sunt, nihil desidera; nisi antè concluseris, ægrè non fer, cùm aut aversioni aut desiderio fuerit contraventum.

NOVEMBER.

1.

Regnum cælorum tale est, ut ejus beatitudinem & gloriam nec oculus mortalis hominis possit videre, nec auris audire, nec cor cogitare. Ut tamen

men aliquo modo id possis cogitare, quisquis ibi regnare meruerit, quidquid ipse volet hoc erit in cœlo & in terrâ, quidquid verò nolet, non erit in cœlo & in terra. Tanta erit dilectio in Deum, & eos, qui ibi erunt. & inter se ipsos invicem, ut omnes invicem diligant sicut se ipsos, sed plus ament omnes Deum, quàm seipsos. Et propter hoc nullus ibi volet, nisi quod vult Deus, & quod volet

unus,

unus, hoc volent omnes, & quod unus vel omnes, hoc ipſum volet Deus. S. Anſelm. ep. 2. ad Hug:

2. Qui in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis, priùs purgabitur igne purgationis. Hic ignis etſi non ſit æternus, miro tamen modo gravis eſt; ſuperat enim omnem pænam, quam homo unquam paſſus eſt in hac vita, vel pati poteſt S. Aug:

3. Flagitioſi ad audendum impunitate, od effici-

endum

endum præmijs incitantur. Boni, si impunes essent, non auderent propter rei turpitudinem, neque ad audendum ullis præmijs moverentur, quia nulla illis satis magna essent ad perdendum Bonum Maximum.

4. Signat tempora proprijs
Aptans officijs Deus,
Nec quas ipse coêrcuit,
Misceri patitur vices;
Sic quod præcipiti via
Certum deserit ordinem,

Lætos

Lætos non habet exitus.
Bòèt. l. 1. Met. 6.

5 Menſura bonitatis ſit menſura amoris tui, plus enim res amari non meretur, quàm bona eſt. Si hæc amoris tui menſura fuerit, erit illa etiam gaudij dum frueris; aut triſtitiæ, cùm amittis.

6. Invictus eſſe potes, ſi in nullum certamen deſcenderis, quod vincere tui arbitrij non eſt.

7. Tu quoque ſi vis
Lumine claro

Cernere

Carnere verum,
Tramite recto
Carpere callem:
Gaudia pelle,
Pelle timorem;
Spêmque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est,
Vinctàque frenis,
Hæc ubi regnant.
Boêt. I. 1. in fin.

8. Æquo animo toleres oportet, quid quid intra fortunæ aream geritur, cùm semel jugo ejus colla submiseris. Quód si manendi

nendi abeundique scribere legem velis ei, quam tu Dominam sponte elegisti. nonne injurius fueris? & impatientiâ tuá sortem axacerbabis, quam permutare non possis. Boêt. I. 2. pros. 1.

9. Habet omnis hæc voluptas, stimulis agit fruentes; apumque par volantium. Ubi grata mella fudit, fugit. & nimis tenaci ferit icta corda morsu. Boêt. 1. met. 7.

10. Justum est, ut amittat

tat Te, quicunque in aliquo alio magis consolari elegit, quàm in Te. S. August. Solil. c. 22.

11. Interrogatus à latrone S. Martinus, num quo terrore correptus esset? respondit, se nunquam magis fuisse securum, quòd sciret, Domini misericordiam maximé in tentatione affuturam. A diabolo in via interrogatus, quò iret, respondit: quó Dominus vocaverit. Cui diabolus; quocunque jeris, tibi

adverſabor. Et Martinus: Dominus mihi adjutor, non timebo. Statimque inimicus evanuit.

12. Anima, quam creâſti ita facta eſt capax majeſtatis tuæ, quod à te ſolo & â nullo alio impleri poſſit. Quando autem te habet, plenum eſt deſiderium ejus, & jam nihil aliud, quod deſideretur exteriùs, reſtat. S. Aug: Solil: c. 30.

13. S. Stanislaus Koſtka ab Angelis bis Chriſtum

Eu-

Eucharisticum, à B. Virgine Christum parvulum in ulnas accepit. ô Castam animam, quæ Christò, Deiparæ. & SS. Angelis ita familiaris est. Æstuabat aliquando vehementer, & causam æstûs à Magistro interrogatus dixit : Uror, uror totus ab igne Divini Amoris. Consummatus in brevi explevit tempora multa.

14. Dum anima aliquid exteriùs desiderat, manifestum est, quòd Te non ha-

bet interiùs, quô habito nihil eſt, quod ultrà deſideret. Cùm enim ſis ſummum & omne bonum, non habet, quod deſideret ampliùs, ſed poſſidet Te Omne bonum. *S.* Auguſt: Solil: c. 30.

15. Quod ſi Anima non deſiderat omne bonum, reſtat, ut deſideret aliquid, quod non eſt omne bonum, ergo nec ſummum bonum, ergo nec Deum, ſed potiùs creaturam Cùm autem creaturam deſiderat, con-

tinuam famem habet, quia licèt, quod desiderat, de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet, quia nihil est, quòd eam impleat, nisi Tu, ad cujus imaginem est creata. S. Aug: Solil: c. 30.

16. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant, præter Te, & facis eos dignos te, Sanctos, beatos, immaculatos, amicos Dei, qui omnia reputant ut stercora, ut lucrifaciant Te solum. S. Aug: Solil: c. 30.

17. Ego erravi, ficut o-
vis, quæ perierat, quærens
te exteriùs, qui es interi-
ùs. Et multùm laboravi
quærens te extra Te, &
tu habitas in me, si ta-
men ego desiderem Te.
Circuivi vicos & plateas
civitatis hujus mundi,
quærens te, & non inveni,
quia malè quærebam fo-
ris, qui erat intus. S. Au-
gust: Solil; c. 31.

18. Diligenter caven-
dum est, in operibus no-
stris peragendis, ne ita no-

ſtri immemores ſimus, ut non frequenter interiùs ad Dominum Deum recurramus. S. Tereſ cap: 40. Vitæ.

19. Ideo pauci ad perfectionem perveniunt, quia laborem & mortificationem, quæ in via virtutis ſuſtineri debet, ſupterfugiunt, nec ſolida cum patientia operari volunt. B. Joan: à Cruc.

20 Oportet nos operari opera Dei, hoc eſt, magna, qualia ſunt omnia, quæ

Deus

Deus jubet aut ſvadet, ſi fiant eo modo, quo Deus facere ſolet: videlicet tam magna, ut majora eſſe non poſſint, vel talia, ut ſis paratus ad majora.

21. Meritò in plenitudine Sanctorum detentio Mariæ, cui nec defuit fides Patriarcharum, ſpes Prophetarum, Conſtantia Martyrum, ſobrietas Confeſſorum, Caſtitas Virginum, fœcunditas Conjugatorum, imò neque puritas Angelorum. S. Bern:

Tantà eſt Virgo, ut quantus ſit Deus, ſatis ignoret, qui hujus Virginis mentem non ſtupet, animum, non miratur. S. Petrus Chryſol: Serm: 104.

22. Imitamur Deum faciendo bona quæcunque ſine perturbatione ſine proprio quæſtu, ſine præſumptione, ſed quaſi forent exigua, non minorem diligentiam adhibendo in parvis, quàm in magnis, ſicut etiam Dei perfecta ſunt opera omnia, non minûs

nus formica, quàm Elephas. Lud: Pont,

23. Grave quidem est Cupienti servire Deo, quod corpus propter infirmitatem non respondeat desiderijs animæ: sed æquo animo ferendum; quia pati est maximum bonum, quod Deus largitur his, quos valde diligit. Lud: Pont:

24. Quamquam autem habeant hæc infirma suas delectationes, suosque amores, non tamen delectant tali modo, sicut tu

DEUS noster. In te enim delectatur Justus: quia amor tui suavis est & quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine & suavitate, & tranquillitate reples. Et contra amor sæculi & carnis anxius est & perturbatus: animas certè, quas ingreditur, quietas esse non patitur. S. Aug; med: c. 35.

23. Cùm S. Catharinæ Imperator magna promitteret, & in Sponsam habere

bere vellet; respondit. Attende & decerne, quem debeo magis diligere. Potentem speciosum & Gloriosum, an infirmum, deformem, mortalem & ignobilem? Christo me offero; ipse enim DEUS meus, Amor meus, Sponsus meus. Dionys: Cart: Serm. 4.

26. Serò te amavi Pulchritudo tam antiqua & tam nova. Serô te amavi! & tu intus eras & ego foris, & ibi te quærebam,

& in iſta formosa, quæ feciſti, ego deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ eſſe non poterant niſi in te. S. Aug: Solil: c. 31.

27. Qui in vitæ ſuæ decurſu totum dedit, quod habuit, vires & ſanitatem impendendo in ejus ſervitio; & etiamnum toto affectu animæ ſuæ dat, quod habet, æquum eſt, ut Deus ei quoque det totum, quod ipſe eſt & habet; videlicet

videlicet se ipsum & auxilium suum, ac tandem ex ossibus aridis, & carne exhausta in ejus obsequijs faciat aliquid sole splendidius. Lud: Pont:

28. Væ miseræ animæ quæ Christum non quærit, nec amat, arida manet ac misera. Perdit, quod vivit, qui Deum non diligit. Qui curat vivere non propter Te Domine, nihil est, & pro nihilo est. S. Aug: man: c. 4.

29. Verè summè bonus

es & nemo bonus nisi tu ſolus. Cujus voluntas opus eſt, cujus velle, poſſe eſt. Qui omnia, quæ ex nihilo creâſti ſola voluntate feciſti; Qui omnem creaturam tuam absque indigentia aliqua poſſides, & ſine labore gubernas, & absque tedio regis, & nihil eſt, quod conturbet ordinem imperij tui vel in ſummis vel in imis. S. Aug: man: c. 2.

30. Vincula, quibus ad Crucem ligatus fuit B. Andreas,

Andreas, præcepta ſunt obedientiæ, quæ manus, id eſt, opera; & pedes, id eſt, affectus noſtros ligare debent, & hoc tamdiu, donec veniat, qui solvat, JESUS Chriſtus Dominus noſter. Cæſarius Serm. 2.

DECEMBER.

1.

NOn exiſtimes, alium ob finem te ad Monaſterium veniſſe, niſi ut spoliaris, & exagiteris ab omnibus. Unde omnes Reli-

Religiosos tamquam officiales sive ministros ad te exagitandum missos cogita. B. Joan: à Cruce.

2. Amor Dei non aliter, quàm seriò efficaciterque propter ipsum operando & patiendo, aquiritur. S. Teres: c. 4. lib: fund:

3. Iterum vobis inculco, etiam atque etiam commendans, ubicunque cum quibuscunque versabimini, contendit vos gratos & amabiles omni hominum generi præbere; de

cunctis

cunctis bene merendo, inserviendo singulis, nullum non blandè modesteque compellando. Hæc enim benignitas factorum, verborum humanitate condita conciliando vobis omnium amorem, aditum cordis aperiet, magnamque præbebit facultatem luculentos congerendi fructus animarum. S. Franc: Xav: lib: 4. Ep: 3.

4. Ad eos, quibuscum religiosam aut civilem, domesticam aut forensem usûs ac sermonis consvetudi-

tudinem vario vitæ commercio usurpaveris, sive ij mediocrem, sive summam tecum familiaritatem affectaverint, sic te semper adhibe, quasi existimares, aliquando eos ex tibi amicis inimicos evasuros. Ita non commites, ut conscios illos habeas ullius facti dictive, quòd, si unquam iræ indulgentes protulerint, vel erubescere traductione tui, vel incommodo aut damno negotiorum te dolere sit necesse.

cesse. S. Franc: Xav: lib. 4. Ep. 4

5. Non est alius fructus animi major in hac ærumnosa vita, quàm vivere in magnis moriendi periculis, quorum adeundorum unica & vera causa fuerit solus Dei amor, & ei gratificandi, dilatandæq; nostræ Sanctæ Religionis sincerum Studium. Svavius, mihi crede, homini est, in hisce laboribus versari, quàm sine illis pacatè, otioseque vivere. S. Franc: Xav: l. 4. Ep: 5.

6.

6. Regna & Principatus transſeunt. His nova ſuccedet & inopinatiſſima facies rerum: planè, qualis ne cogitatione quidem ac ſuſpicione prima Majeſtati unquam tuæ in mentem venerit. Videbis enim te per mortem ſpoliatum regnis, & poſſeſſionibus ejectum cunctis, in alia longè diverſa contrudi terribilia & tenebrosa regna; in quæ duriſſimum & acerbiſſimum erit relegari ex illis aliis avulſum, præser-

tim

tim ſi, quod Deus avertat, extra Paradiſum & ejus ſpem eſſes amandandus. S. Xaver: ad Regem Luſit: l. 4. Ep: 6.

7. Imperatori iniqua poſcenti reſpondit S. Ambroſius: Quid quærit Imperator, quid expectat? an ut ego majorum hæreditatem regiæ cedam poteſtati? ut dilectam Domini vineam porcorum ſordibus conſpurcandam tradam? Non eſt Ambroſius tam ſtultus, ut hoc putet; tam timi-

timidus, ut velit; tam potens, ut possit. Basilicam quærit? non tradam. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem; non recuso. Principis furorem non timeo. Facio ego, quod Sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Baron: ad an: 397.

8. Illa Virgo, illa Maria, Illa Sancta, præservata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis & liberata ab omni culpa. Et qui ita non

senserit,

senserit, non consequetur vitam æternam B. Thesiphon discipulus S. Jacobi majoris hanc doctrinam ab Apostolis definitam asseruit. S. Andreas Apost: morti proximus dixit: Sicut primus Adam formatus fuit ex terra antequam esset maledicta: ita secundus formatus est ex terra virginea nunquam maledicta. Gregorius XV. Pontif: Max: 1622. April: 13. concessit centum annorum indulgentias piè pronun-

cian-

ciantibus hæc verba: Benedicta ſit puriſſima & immaculata Conceptio Beatæ Virginis Mariæ.

9. Infinita eſt infirmitas mea ad bonum, ſed & infinita potentia ad malum. Nam quæ major infirmitas, quàm nihil boni poſſe? quæ major potentia ad malum, quàm facere poſſe omne malum & reſiſtere igni Amoris Omnipotentis? Lud: Pont:

10. Magnum amoris argumentum habes, si alios

á labore in domeſticis offi-
cijs eximere ſatagas, & si
gaudeas, cùm alios in vir-
tutibus progreſſum facere
vides S. Tereſ: c. 7. Viæ
perf:

11. Deum ipſum metuo
ſolum; ne ob meam in ejus
obſequio negligentiam,
quòdque ineptus inutilis-
que meâ culpâ ſim in re-
gno, ac nomen J E S U
Chriſti Filij ejus, inter
gentes, quæ ipſum non
nôrunt, proferendo, juſtè
caſtigandum decernat. Ex-
tra

tia hunc omnes illos alios metus, pericula, labores, quæ tam formidolosè amici certatim intentant mei, facio nauci & securus rideo; unusque in me Dei timor cunctos creaturarum metus extingvit; quippe quas nocere nemini scio posse, nisi cui & quatenus Conditor ipsarum incomodare permiserit. S. Xav: lib: 4. Ep: 7.

12. Si jam non facis, quod potes, quotidie minus

nus poteris. Fac pro Deo quod potes, & ipſe pro te faciet, quod tu non potes. Lud: Pontif:

13. Licet Dominus Deus in omnibus animabus, in quibus paſſiones & affectus inordinati vigent; maneat, non tamen libenter, ſed ſicut extraneus in aliena domo, in qua non permittitur ei imperare, nec quidquam efficere. B. Joan: à Cruce.

14. In nullo negotio vel officio ſuſcipiendo ſolliciti

ſimus, quomodo respondeamus expectationi hominum, vel opinioni de nobis conceptæ: ſi enim ſolum Dei obsequium ſpectamus, faciemus, quod poſſumus. Ipſius erit dare, quæ necessaria ſunt fini à ſe intento; noſtrum autem, paratos eſſe ad excipiendas oblocutiones, & alia quæcumque; cùm ipse nôrit, quid nobis expediat. Lud: Pont.

15. Adolescentia noſtra Ver eſt: floret ſpe. Juventus noſtra æſtas eſt: fervet cupiditate. Virilitas noſtra autumnus eſt: pollet fruge. Quid ſenectus noſtra? Hyems non ſit.

16. Abſentia Domini clavis eſt cor-

cordium: fidem aut perfidiam videt, cûm est procul. Inter veritatem & adulationem non distingvit præsens. Servus bonus, ubique bonûs; malus alicubi bonus apparet.

17. Varia est patiendi materia. â necessitate corporis, rerum ac temporum incommodis, defectibus animi, diaboli insultibus, moribus hominum, subitis casibus &c. Ut æquo animo perferas, instrui te oportet, quid DEI sit Providentia, quid justitia.

18. Qui pertæsus Crucis sibi â Deo impositæ quærit aliam ut eâ fallat sensum prioris, malè fi-

bi consulit. Illam enim Deus novit humeris proportionatam, hanc homo eligit, qui nec Crucis pondus, nec virium suarum novit infirmitatem.

19. Te Domine nemo amittit, nisi qui dimittit. Et qui dimittit quò it, aut quò fugit? nisi à te placido ad te iratum. S. Aug. lib Conf: c. 9.

20. Judica me Deus! & quare non homo? O! homines modo non judicant actiones, sed Personas? Deus autem judicat actiones, quarumcunque illæ personarum sint.

21. Felix manus, quæ Dominici pectoris secreta rimavit! quas di-

divitias non intus invenit? Ab illo pectore arcana cœlestia Joannes hauserat dormiendo in illo: Thomas grandes thesauros reperit scrutando. Grandis illa Schola quæ tales discipulos facit Inde alter super astra volans mira de divinitate dictat cum, ait: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Alter radio veritatis tacttus sublimiter exclamat: *Dominus meus & DEUS meus!* Maior incredulitate confessio altiùs sonare non potuit. S. Thomas de Villan: in oct: Pasch:

22. Omnia facienda sunt cum

tanta quiete interna, ac si nihil aliud esset agendum. Qui non ita facit omnia nihil bene facit, cùm animo diviso faciat omnia.

23. Procul à malo est, qui semper quærit majus bonum. Qui propter ignaviam contentus est minore bono, propinquus est malo.

24. Quidnam tecum agendum est ô homo? in sublimi Deum agentem minime quærebas, ad te verò in carne venientem, & tecum conversantem non recipis. S. Basilius. hom: 25.

Dices forsitan: si ego illic essem, utique illos reciperem: sed quomodo illud facies, cùm quoti-

tidi-

tidie clamat ad ostium cordis tui necaperis illi. Claudis Christo portam & diabolo ipsius inimico aperis, & dicis te illis daturum hospitium. Did. stella, in illud: Non erat ei locus, &c.

25. Accede saltem nunc rationalis homo, aceede ad præsepium istud; & qui peccando jumentis insipientior es, & similis factus es illis, Creatorem tuum vel inter ipsa jumenta recognosce, ne ipsis etiam jumentis posteriorem te, viliоremque demonstres. S. Thom: Villan: Conc: I.

20. Videte dilectissimi affectum beati Viri! videte magnam

gnam & admirabilem charitatem. In persecutione positus erat, & pro peccatoribus deprecabatur, atque in illa lapidum ruina, quando alius oblivisci poterat etiam charissimos suos, tunc ille Domino commendabat inimicos. Plus tunc illorum dolebat peccata, quâm sua vulnera; plus illorum impietatem; quâm sua vulnera; plus illorum impietatem, quâm suam mortem. Imitemur ergo in aliquo dilectissimi Fratres tanti magistri fidem, tam præclari Martyris charitatem. S. Aug: Serm: 5.

27. Sic Deus dilexit Joannem, ut ei matrem suam daret: mulier

er ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo; ecce mater tua. Impressit in hoc verbo Dominus statim cordi virgineo àmorem quendam maternum in Joannem, fortiorem & ardentiorem, quám soleat matribus natura tribuere. Visceribus etiam Apostoli reverentiam Filialem in Virginem inseruit, qualem nullus Filius naturâ habet in matrem. S. Thom: de Villan.

28. O DEI stupanda dignatio! quæ nolentes plorantesque transmittit ad requiem, sine pugnæ consensu ad coronam. S. Laur: Just. Sic Sanctorum persecutionibus Tyrrannus illudi-

tur qui, dum putet perdere quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat; & quod ille in perditionem moliţur, hi utuntur pro beneficio. S. Cypran. Serm: de Epiph:

29. Cui licet in Euchariſtia Chriſtum ſumere, & negligit, infelix eſt: àut enim non æſtimat, aut nauseat,

30. Noli inter Spes meliorum temporum & occaſionum vitam tranſigere. Si aliquando benê victurus es, quia poteris, nunc bene vive, quia potes. Omne tempus, omnisque occaſio ei, qui vult ijs uti, ad bene vivendum quadrant,

31. Ultimus hic anni dies est, quis vitæ? Erit aliquis certò, quem tu non scis certô. Ut autem certò bonus sit, omnis dies tibi bonus sit: erit, cum quotidie vixeris, quasi cras moriturus.

Actus præcipuarum virtutum, ſive Exercitium Spirituale.

Ab unoquoque Fidelium, quotidie ſaltem ſemel exercendum coram Deo, exemplo S. D. N. Alexandri PP. VII.

Juxta tenorem Exemplaris Romæ. Anno M. DC LXII. editt Monahij Anno M. DC. LXIII. Et M. DC. LXX. impreſſum.

ADoro Te Sanctiſſima Trinitas, Pater, & Filius, & Spi-

ritus Sanctus, tres Personæ, unus & ſolus Deus.

Dejicio me in Abyſſum mei nihili, ſub conſpectu Diuinæ Majeſtatis Tuæ.

Credo firmiſſimè, paratus mille vitas profundere, in conteſtationem omnium eorum, quæ nobis in ſacra Scriptura revelâſti, & per Eccleſiam tuam credenda proposuiſti.

Omnem ſpem meam in Te colloco, & quidquid poſſum habere boni, ſive ſpiritualis, ſive corporalis. & in hac, & in altera vita, id totum deſidero, ſpero & volo ſolùm consequi de Tua manu, Deus meus, Vita mea & unica

unica Spes mea.

Consigno Tibi hodie, & in perpetuum, corpus & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

Protestor me non consentire, neque consensurum unquam quantum in me est in ullam rem, quæ fiat vel cum minima offensa Tuæ Divinæ Majestatis.

Propono firmissimè, impendere omne esse meum, facultates, ac vires meas ad servitium & gloriam Tuam.

Paratus sum suscipere, quascunq; adversitates mihi Paterna Tua manus immiserit, ad dan-

dandum gustum beatissimo Cordi Tuo.

Vellem me totum, quantus quantus sum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur; atque omnes homines Te glorificent, & ament Deum Creatorem suum.

Gaudeo summè de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna gloria, in cœlo & in terra.

Gratias tibi ago infinitas pro innumeris beneficijs, quæ mihi & toti mundo collata sunt, & indies incessanter à benignissima Tua Providentia conferuntur.

Amo tuam infinitam Bonitatem propter Seipsam, ex toto affectu cordis & animæ meæ; & vellem si possem, amare eô amore, quo Te amant Angeli & homines justi, cum quorum amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Offero Divinæ Majestati Tuæ in unione meritorum Passionis, vitæ & mortis Christi, Beatissimæ semper Virginis & omnium Sanctorum, ex nunc, pro semper, omnia opera mea, pretiosissimo Sangvine JESU Redemptoris nostri lota & involuta.

Statuo omnino, participem me facere, quantum possibile est, Indulgentiarum per actiones hujus diei, & illas applicare per modum suffragij pro animabus purgatorij.

Volo etiam omne illud quod possum, offerre in pœnitentiam & satisfactionem meorum peccatorum.

Deus meus, cùm Tu sis infinitè dignus omni amore & servitio: siquidem TU ES QUI ES; doleo, quantum possum maximè de omnibus meis peccatis, illaque detestor supra omnia alia mala: peto humillimè veniam, facioque firmissimum

mum propositum, nunquam offendendi Tuam Bonitatem in æternum.

In Tua vulnera me proijcio, ô JESU! ibi me absconde & defende, hodie & semper, donec mihi largiaris gratiam videndi Tui & amandi in æternum, Amen.

ORA-

ORATIO.

Divi Thomæ Aquinatis, ad multas magnasque virtutes impetrandas aptissima.

COncede mihi, quæso omnipotens & misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere & perfectè adimplere.

Ad laudem & gloriam nominis tui orna statum meum: & quod à me requiris ut faciam, tribue ut sciam, possim, & velim:

velim: & da exequi ut oportet, & expedit saluti animæ meæ.

Via mihi, quæso, ad te fit tuta, recta & consummata, non deficiens inter prospera & adversa, ut in illis non extollar, & in istis non deprimar. In prosperis gratias tibi referam & in adversis servem patientiam. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod promoveat ad te, vel quod abducat a te. Nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi.

Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quasi mortuum reputare. Actiones meas da pe-

peragere non ex consvetudine, sed ad te referre cum devotione.

Vilescant mihi omnia transitoria propter te, & chara mihi sint omnia tua, & tu Deus meus plusquam omnia. Delectet me omnis labor, qui est pro te, & tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te.

Frequenter & ferventer da mihi dulcissime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam cum emendationis proposito dolendo pensare.

Fac me Deus meus humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione

one, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, timentem sine desperatione, in te sperantem sine Præsumptione, castum sine corruptione, proximum corripere sine indignatione, ipsumque ædificare verbo & exemplo sine elatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione.

Da mihi dulcissime Jesu, cor pervigil, quod nulla à te abducat curiosa cogitatio: da immobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribula-

bulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio.

Largire mihi, dulcissime Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quaerentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te dulciter & fiducialiter exspectantem, fiduciam te feliciter amplectentem: da tuis poenis configi per poenitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam & tandem tuis gaudijs in patria

frui

frui per gloriam. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas, &c.

Omnia ad majorem DEI Gloriam.

t

dobry	Stan przedmiotu
średni	
zły	
	War w wal

Befehl hier, und
geht, wenn er von

Heinrich. Ich bin, unter uns zu sagen, des
Herrn Philemons Laquai, und will ietzo gleich zu

P